Ex Dono Authoris

ROBERTI WELSTED

DE

Ætate Vergente

LIBER

Ad REVERENDUM admodùm

HUGONEM

Epiſcopum Briſtollienſem.

LONDINI:

Impenſis GULIELMI & JOHANNIS INNYS,
in Cœmeterio D. *Pauli.* 1724.

INDEX CAPITUM.

Cap. Pag.

I. RATIO Operis 1

II. De varia ætatis vergentis indole 15

III. De diversa natura ac consuetudine hominum ætatis vergentis 28

IV. De Consilijs ætati vergenti accommodandis 36

V. Consilia medica de sanitate tuenda ætate provectorum 47

VI. De Affectibus ætatis vergentis 61

VII. De

Index Capitum.

Cap.		Pag.
VII.	*De Affectibus ex materie tenaci*	72
VIII.	*De morbo articulario*	79
IX.	*De distributione morbi articularij secundum sedes notatu digniores*	86
X.	*De distinctione morbi articularij in sanguineum & calculosum*	95
XI.	*De morbi articularij reditu præcavendo*	102
XII.	*De ijs, quæ utiliter servantur ad senectutem extremam vergentibus*	112

DE

Ætate Vergente,

Ad REVERENDUM admodùm

HUGONEM

Epiſcopum Briſtollienſem.

CAP. I.

Ratio Operis.

COGITANTI mihi, ac præcipuè ſolicito de ſalute Tuâ (Eruditiſſime Præſul) hoc quidem primum videtur exoptandum, ut ſanitas Tibi integra maneat; proximum verò, ut, ſiquid fortè dolet,

illud mitigetur; ac tandem, ut cauſæ mali latentes penitus ſubmoveantur. Idque eâ ſanè ratione, ut vitæ tuæ quaſi meridies longior reddatur; neque ut, poſtquam ſerò inter provectos numeratus fueris, tempora fluant Tibi ipſi, Tuíque amantibus, ingrata. Tale, igitur, quum ſit hujuſce ſcripti argumentum, idipſum typis expreſſum, ſicut mea ſoles, accipias.

QUONIAM nihil, permagni apud æquos rerum æſtimatores momenti, uſquam videre contigit, quod non pariter ſimplicitate quâdam propriâ continetur; eandem utique in Medicinâ perſequi votum eſt. Siquidem Natura, quam optima quæque ars imitatur, miram operibus ſuis conciliat dignitatem; dum ex paucis principijs in gremio ſuo aſſervatis, ornatum ſummè varium deducit, ac ſuſtentat: Iiſdémque rite adhibitis, ſiquid offendat, in ordinem priſtinum redigit. Medicina autem à Naturâ tota pendet; adeò ut, ſiquando ipſam deſerat, ab arte ingenuâ deſciſcat in præſtigias, & inanem illius imaginem, quam quidem rude mortalium genus ex ignorantiâ ſolâ adorare ſolitum eſt.

Illiuſ-

Illiuſmodi verò ſimplex ſecundum naturam Medicina olim Hippocrati tradita erat; attamen poſt ipſum, à rectâ hâc viâ in obliquas omnes diverterunt ſecula iſta ſequentia, quæ novarum artium ac diſciplinarum feraciſſima erant.

Hinc, Celſus ille Romanus diſertis queritur verbis, quòd multiplex iſta Medicina, quæ apud Græcos, aliquanto magis quàm in alijs nationibus, paucis antè ſeculis exculta eſt, vix aliquot ex ſuis Romanis ad ſenectutis principia perduxit. Idque ita habere veriſimile eſſe ſcribit; quoniam deſidia & luxuria priùs in Græciâ, deinde apud Romanos afflixerunt. Multa autem ab illius Autoris temporibus ſecula jam effluxerunt: Attamen, vetus ea querela aures noſtras etiamnum perſtringit. Siquidem Medicinæ vitio vertitur, quòd plures præmaturè in mortem rapiantur, quos ad ſenectutem uſque extremam victuros cuivis liceret non immerito ſperare, qui talia æſtimans ad ſolas Naturæ leges reſpexerit.

Ergo, non indignum meditari videatur, ſi quis in haſce leges inquirit ; quò clariùs innoteſcat, unde vivendi ſpatium contrahi ſolet ; atque etiam, quod in rebus gerendis impedimento eſt, unde infirmitas naturas valentes ac bonas celeriùs aliquando occupat; & quî tandem non rarò evenit, ut, quanquam homines vivi perſtent, adversâ tamen valetudine laborent ; ideóque, impoſterum ſibi neceſſariiſque ſuis inutiles, quaſi defuncti habeantur.

Quamobrem, non abs re erit contemplari generatim vitam humanam, tanquam ſingulas ætates tranſeuntem, atque ab ijſdem affectam ; priuſquam ſpeciatim in hanc ipſam inquiramus. Quòd ſi verò, initium ſumamus à ſimplicioribus, ordinem naturæ preſſiùs ſequemur ; quæ vitam priùs in vegetantibus adumbrat ; ac, dein, pleniorem ejuſdem imaginem in animalibus exprimit ; unde, denique in hominem aſſurgere videtur.

Commune autem plantarum atque animantium eſt, ut ad maturitatem ſibi propriam

priam perveniant; ac deinde, deficiente ſenſim vigore, in quoddam quaſi ſenium declinent.

Illud itidem commune eſt, ut pro variâ earum indole, plus roboris ac vigoris ſortiantur, quò feliciori ſtirpe natæ fuerint. Et quidem multum intereſt, quo cœlo ſolóve ſingulæ gaudeant: An eo, quod naturæ ſuæ congruum ſit; an toti generi inimicum.

Nec ſanè, hîc loci omittendus eſt à primis temporibus cultus, qui ſæpenumero plurimum confert ad vires promovendas; adeò ut, ætate demum florente, poteſtatem ſuam ampliſſimè oſtendere valeant.

Quinetiam, inter communia recenſere licet, quòd, quæ ad maturitatem præpropere evehuntur, hæ citò marceſcant: Et, quòd ſimiliter, quæ tardè creſcunt, eæ maximè diuturnæ evaſuræ ſint.

At, ſi id arte vel culturâ fiat, ut vires congenitæ ultra modum exerantur; quale

illis accidit, quæ fœtus uberrimè edant; eædem ocyùs ſeneſcunt.

Eodem verò jure cum hominibus agitur; utpote quibus, pariter atque cæteris animantibus leges latæ ſunt; ſecundum quas plus firmitatis ac roboris ad maturos accedit, quò præſtantiori naturâ ab ortu dotati fuerint. Itaque ab ipſis natalibus, tanquam fonte ſuo, petenda eſt primaria valetudinis ratio, utrùm bona vel mala contingat; atque etiam, ſeu longævitatem hæc eadem promittat, ſive vitæ brevitatem præmonſtret.

Totum autem, quod nativum eſt, ad vim quandam referre licet, quæ in corpore aptè conformato quodammodo continetur. Quod verò ad talem attinet; qualis nimirum duret, adeóque in annoſis vigeat, ut tardè ac leniter hoſce in ætatem decrepitam labi ſinat; ipſa aliàs omnino deſiderari videtur, aliàs propter ſubtilitatem evaneſcere, aut inopiâ debitæ ſuſtentationis citò extingui.

Quaprop-

Quapropter, ad felicem longævitatem itidem requiritur fibrarum textura, quæ temperamento æquabili conſtitutæ, vim inſitam cumprimis facilè diffluentem continere valeant; uſque dum per ætatem indureſcentes, in firmam & ſtabilem compagem coarctentur: Quæ temporis tandem injurijs diutiſſimè reſiſtat; aëris variatione illæſa maneat; ac cœli ſolíque, nonnunquam etiam peregrini, gravitatem impune perpetiatur.

Interea, non inficiandum, commodam vel incommodam hominum valetudinem à regionibus plurimùm pendere; non ſolùm, ubi naſcuntur, verùm etiam, ubi à teneris annis educti fuerunt. Ideóque plures videmus, quorum valetudo ſecunda gradatim confirmatur hâc vel illâ peregrinâ regione, qui, dum in patriâ commorarentur, imbecilliores fuerant. Pleroſque ſanè adoleſcentes regiones frigidæ magis juvant; & perpauci ſunt, quos ardentia ſub ſole climata non enervant, aut celeriùs, quàm par eſt, maturant.

Deinde, quod ad culturam primæ ætatis pertinet, ſiqua ſit quæ eidem prorſus non conveniat ; nil miri, ſiquando infirmitas ex eâdem pravè adhibitâ ortum trahat. Et hinc quidem operæ graviores, oneráque præmaturè ſuſcepta, ſicuti etiam victus voluptatéſque adultorum, teneris nocent. Quum enim malè fundetur vita, & ipſis initijs virium ingenitarum fiat jactura ; vix poſtea ſperanda eſt vel firma corporis habitudo, vel exundans ſpirituum copia : Ideóque nec illi, quorum pueritia enervata & fracta eſt, ad ævi longi limites pervenire ſolent.

Quocirca, ex priori vitæ tempore feliciter tranſacto, potiſſimùm pendet longævitas ; eòuſque ſaltem, quò magis vel minùs ſana futura ſit : Unde multos videre eſt, qui, dum vigerent, neque coætaneis robuſtiores, nec omnino vivaciores ſeſe oſtenderunt ; attamen diu poſt illos ſuperſtites, ac ſanitate itidem perfruentes : Quippe qui, ſtimulis ſæpiùs quidem parcendo, ſubinde verò facultates ipſas roborando, atque ampliando, ſecum iter vitæ, quantumvis

tumvis ocyùs, facientes, tanquam cunctando, ſuperârunt. Interim monendum, morbos in primâ ævi parte, modò nullas corporis partes labefactent, vix inter ea vitia numerari, quæ vivendi ſpatium abbreviare ſoleant: Ideóque plus noxæ hiſce affectibus, qui labem poſt ſe relinquant, tribuitur. Itaque illud curæ junioribus eſſe debet, ne in vitia currant, quæ ſtamina corporis corrumpunt, fontéſque ipſos turbant: At, ſi morbo correpti fuerint, id in votis primum habere æquum eſt, ut non ſolùm ipſe in præſens dometur, verùm ut reliquiæ fomitis morbifici ejiciantur, ac, dein, ſana habitudo revertatur.

Præmiſſis autem hiſce monitis, quæ ad priores ætates ſpeciatim referuntur, & quorum non niſi in genere hîc loci meminiſſe oportuit; proximum eſt, ut eorum vitam obſervemus, qui vires integras & bona ſtamina à naturâ ſortiti, maturitatem conſummatam jam aſſecuti ſunt: Dein verò, ut rationem quæramus, quâ, dum ad ſupremum uſque diem vivitur, ſenibus contingat ſanis eſſe, quantum per imbecillitatem licet; aut ſaltem, quod proximum

ſanitati

ſanitati eſt, valetudine adeò commodâ uti, ut immunis ſit cruciatuum malorúmq; Iliadis, quæ ſenectutem ſæpe comitantur.

Digna ſanè inveſtigatu prudentia, quæ hanc humani generis partem ſalvam præſtare doceat; quæ quidem ad munia civilia & ſocialia obeunda longâ ſatis experientiâ idonea reddita eſt, qúæque ideo cæteris partibus diffusè profutura eſt. Hoc enim vitæ tempus, licèt corporis vigor ſenſim pereat, animi tamen dotibus, conſtantiâ, ſapientiâ, rerúmque adminiſtrandarum conſilijs nobilitatur. Itaque ætas, de quâ ſermo eſt, illuſtrioribus perſonis abundat; atque in ejuſdem albo nomina principum utriuſque ſexûs inveniuntur. Ecce, autem, inter illos Britanniarum Pater; cujus quidem ſaluti, quicquid ex naturæ theſauris melius depromi queat, dicandum eſt: Quo Auſpice, tot hominum myriades bona Fortunæ, perquam inconſtantis apud exteras gentes, per æquiſſimas leges confirmata, cum placidâ ac ſecurâ libertate poſſident.

Dein

Dein; accedit eorum numerus, qui omnibus ferè ordinibus cum dignitate præſint; ac propterea mereantur, ut ſanitati tuendæ aut recuperandæ medici præcipuam operam ac ſtudium navent. Etenim grati animi eſt, conatibus noſtris eoſdem juvare, ut omne illud, quicquid ævi ſupereſt, leniter tranſigant: Quod, quantò diutius cum ſanitate producetur, tantò uberiorem poſteris beneficiorum copiam ſuppeditabit.

Interea, non diffitendum, quòd vita longiſſima, quando cum artis medicæ, quæ ab experientiâ eruitur, prolixitate conferatur, brevis haberi debeat; quod quidem monet * Hippocrates: Neque etiam, quòd oporteat omnes, memores eſſe ævi brevitatis.

Illud enim ipſum eſt, quod maximè profuturum eſt ad producendam utilem quamque vitam; nimirum, ſi in memoriâ tenentes, quàm incitato gradu vita præte-

---

* Ἀφ. T. 1, 1.

rit,

rit, eidem provident contra vitia, quæ ſenectutem ingratam accelerent ; qualis iſta eſſe ſolet, quæ ſuos nullis commodis remunerat.

Itaque, monita, quæ anteceſſorum noſtrorum ingenium aut excogitavit, aut ſaltem tradidit, inſpicienda ſunt ; quibus, quod ſalutare, quódque noxium huic ætati, indicant : Ac, ſimiliter, quæ vitam juſto breviorem reddant ; qúæque dolores, ærumnáſque perpetuas creent ; vel (quod eodem ferè recidit) efficiant, ut vix unquam provecti ætate bene habeant.

Quoniam autem hæc monita non à prudentibus, medicíſve ſolis, ex patriâ noſtrâ oriundis mutuò accepimus ; verùm etiam ex alienigenis, quorum plures multa ante ſecula floruêre ; & in regionibus meridionalibus artem medicam excoluerunt ; opus eſt, ut cum ijs, quæ experientia noſtratium ſubminiſtravit, conferamus.

At verò hinc diſcere licebit, qualia ad ſeptentrionales noſtros præcipuè pertineant : Siquidem ij olim effata pronunciârunt, quæ ſuis

ſuis utilia fuerint deprehenſa ; ſed quæ ſæpenumero noſtris per omnia non conveniant. Neque id ſolum advertere uſui erit, quòd noſtratibus eadem ac plagarum calidiorum incolis non ſemper conſentanea ſint, ſed & exquirere, unde hæc diverſitas naſcatur : Ac, demum, perpetuò memoriâ tenere, qualis illis conſuetudo ab infantibus uſque inoleſceret ; &, quapropter eum vivendi morem amplecterentur ; antequam judicium, de conſilijs veterum longè à nobis diſſitorum, feramus.

Sufficiat verò, hoc loco Hippocratem laudare ; qui, ut unus inter omnes eminet, ita & ipſe exemplar longævitatis fuit : Utpote qui nonageſimum ſextum ætatis annum attigiſſe fertur. Etenim, eorum, qui ſecuti ſunt, ſcripta, quatenus ad propoſitum noſtrum referuntur, non niſi Commentaria videntur, quæ brevitatem Coï ſenis explicant aut illuſtrant. Siquidem & Methodici & Empirici, qui ex profeſſo illi ſe oppoſuerunt, vix quicquam protulerunt, quod ex ipſo, tanquam fonte primario, haurire non liceat.

Profectò,

Profectò, ex veterum peregrinorum libris id commodi peculiaris obvenit, ut, quæ humani generis ſaluti tunc temporis inſervirent; hæc ipſa itidem hodie auxilijs eſſe frequenter experiamur: Unde, etiam, de iſtis, quibus nigra ab Antiquorum celeberrimis inuſta fuerit nota, judicare par eſt: Ideóque conſilia, ut & monita ab ijſdem tradita, non inter *opinionum commenta, ſed naturæ judicia* recenſemus: Illa enim (teſte Cicerone) *delet dies*, aſt hæc *confirmat*.

Cap. II.

De varia ætatis vergentis indole.

QUICQUID temporis ab ætate conſtanti labitur, hoc, ut ſolicitudine urgeri ſolet, ita & prudentiâ circa regimen & diætam opus habet, ac generoſa inſuper remedia flagitat. Siquidem, ut virilis vigor ſenſim deficit, ſeniores ſpem omnem abjicere, & omne malum in pejus ruiturum præſagire. Tum verò, nonnunquam in mentem veniunt falſæ rerum imagines, quotquot ſeſe juvenes, quotquot viros illuſerunt. Dein, turbata omnia; mentíſque vitio affligitur corpus; ita ut, quæ aliter prodeſſent, conſilia nihili jam pendantur; ac langueant tandem ægri, vanâ decepti opinione,

opinione, magis quàm cum adversâ valetudine colluctantes.

Itaque hâc ratione produntur copiæ, quæ in illorum subsidium conscriptæ fuerunt; atque ipsi in mortem citiùs declinant, vel ad vitam imposterum miseratione dignissimam damnantur. Hinc laudatio anteacti temporis; & hinc vituperatio ejus, quod adest, conjuncta cum futuri desperatione. Scilicet, animum despondent, dum sentiant, se non isto, quo juvenes, modo valere: Ac nuperum vigorem memoriâ tenentes, cum eodem præsentem defectum comparant; &, mente metu præoccupatâ, omnia senectutis miserrimæ incommoda, tanquam instantia vident. Quî quidem fit, ut aliorum, in eâdem vel provectiori ætate constitutorum, infortunia, quasi sua essent, eos lædere soleant: Atque ex adverso, etiam maximum oritur solatium exinde, quòd aliquot ipsis seniores fruentes sanitate cernant.

Atqui, à pueritiâ didicerunt, se juxtà cum alijs mortales esse; neque ignorant, ipsos nullatenus vitæ securos fuisse, ante magis

magis quàm poſt maturitatem. Neque enim, quamvis robuſta juniorum ætas viribus ſuis confidat, hâc ipsâ tutior eſt, aut minùs opportuna morbis, qui ſpiritus, quantâcunque abundat copiâ, ſæpe prodigunt. Quinetiam, hi tunc temporis partim luxuriâ franguntur; partim laboribus conſumuntur, aut voluptatibus depaſcuntur. Ergô, ſi poſt maturos annos ſat facultatum naturalium adhuc ſuperſit; ſpes ſanè eaſdem prudenter adminiſtrandi in hâc ætate nequaquam vana videri poteſt.

Veruntamen, ſæpe hominibus vergentis ætatis accidit, ut, licèt digniſſimi vitâ ab alijs meritò habeantur, non tamen ipſis videatur natura in tantum proſpexiſſe, quantum junioribus. Quapropter, ſubſidia negligere ſolent; quæ, modò ad amuſſim ſingula perpendantur, non minùs ipſos, quàm in aliâ quâvis ætate conſtitutos, juvare valeant. Igitur, obſervandum eſt, naturam ex hâc parte non defuiſſe; verùm, quòd, ſicuti præcipuis & ferè perpetuis auxilijs opus habent infirmi proveſtiores, ita etiam illis non deſtituantur.

Aiunt autem provectiores, lethum ſenibus, ad quos ipſi appropinquant, minimè vitandum; cæteris quidem mortem accidere, at confectis ætate eſſe neceſſariam. Atqui, circa initia ſenectutis mira in hominibus apparet diverſitas: Quum, ab eodem ætatis ſuæ anno, ſinguli inter ſenes haudquaquam numerari debeant. Adde quòd, neque de illis, qui quoad annorum ſupputationem juvenes moriuntur, planè ſemper conſtet; utrùm ex principijs creentur, quæ ultra hoc temporis ſpatium integra atque indiſſoluta durare poſſunt. Neque ſanè abſonum videtur, quòd neceſſitas moriendi plures cujuſque ætatis urgeat; eáque à naturâ ſuâ proveniat. Siquidem in omni ætate quædam (ſi ita loqui liceat) ſenecta conſpicitur; nec in aliâ quâvis apertiùs, quàm in primâ infantiâ: Ubi ſæpiùs cauſas vides, cur infantibus non detur diu ſpiritum trahere. Idem etiam obſervandum in reliquis ſtadijs, quæ vitæ præſtitutas vices implent: Ideóque nil obſtat, quò minùs eâdem diverſitate poſt maturitatem pergat hominum natura.

Verùm

Verùm inquiunt ætate provecti; noſmet perpetuùm monet natura, vi inſitâ jam ad ſenſum deficiente; aliíque circumſtantes monent, formam non eſſe eandem, nec habitum corporis florentem, qui olim placuit: Homines noſtræ ætatis præ junioribus ingrati ſunt; imò nobiſmet ipſis ingrati ſumus; quoniam ijs voluptatibus parciùs frui licet, quibus eòuſque juvenes indulſimus, ut ſolas vivendi cauſas ſtatueremus. At, neque eædem voluptates huic ætati convenire ſolent; neque illos, qui naturæ auſcultant, earum illecebræ tam potenter trahunt: Quippe quibus alia jam in delicijs eſſe conſueverunt; quæ per momentum ac dignitatem non minùs ipſis arrident. Nimirum, nunc parcit ſtimulis natura; atque illi ſubditos jamjam decet ab ejuſmodi ſtudijs temperare, quibus quidem tempore præterlapſo exſaturati fuerint.

Fatendum enim, corpus noſtrum à tempore, ſicuti reliqua naturæ opera, injurias pati: Fatendum & uſum illius formæ non ſupereſſe, propter quam juvenes laudantur; verùm, ſcientiam rerum utilium,

longâ experientiâ confirmatam, cum decenti corporis habitu, omnibúſque ad dignitatem ſervandam requiſitis, eſſe hujus ætatis gloriam.

Nec diffitendum, quin aſperi plurimorum mores, & officiorum negligentia ſæpe grandævos ingratos reddant. Atqui, idipſum eſt, quod querimur; nempe, ſeniores citiùs, quàm par eſt, ſecedere à vitæ munijs, quibus optimè fungi poſſunt; ac dein, otio prorſus ſe dedentes præmaturè, ab alijs, qui nihil ultrà ab ijſdem expectant, neglectui demum haberi. Siquidem, ut ait Celſus, *ignavia corpus hebetat, labor firmat; illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit.*

Igitur, dummodo vires ferant, ac morbo immedicabili non laborent, provectis ætate expedit, vitæ rationes conſuetas non deſerere, aut ſaltem non longè ab ijſdem recedere; etiamſi plures coævos ad progrediendum inhabiles videant. Iniquam enim laturus eſt de hominibus hujus ætatis ſententiam, quiſquis eos ex numero annorum æſtimat: At verò, hujuſmodi hallu-

hallucinatio tanto majoris eſt momenti, quanto utilior eſt vita ; & quò plurium interſit, ut ſalvus annis jam ſatur maneat. Et hoc quidem vitæ tempus, inter anni tempeſtates videtur vindemiationem referre ; quum fructus maturi in hyemem condantur ; & quum ijs opus ſit, qui ordine & rectâ mente omnem proventum complexi, eundem eo modo diſponant, quem commodiſſimum fore experientiâ comprobârunt.

Nec, quòd pauciores, integrâ ſanitate jam fruentes, ex coætaneis ſuperſtites ſint, ideo deſperandum ; verùm, quoniam conſtat, quodnam amicis fuerit exitiale, idipſum præcavendum erit: Quali quidem conſilio in arduis expediendis ſæpe uſi fuerunt ; quum aliorum offenſionibus prænoniti, ſibi proſpexerint, ne ijſdem opprimerentur.

Verum quidem eſt, nonnullos, dum vitent pericula ab unâ parte ſita, in prorſus contraria incurrere ; adeò ut, ſiquis in ſeroſos vel pituitoſos morbos incidat, qui nimio ſpirituoſorum uſui indulſit, alter à

vinoſis in totum ſe abſtineat, ac dein, vitijs ſanguinis depauperati laboret. Pari jure queruntur ſeniores alvi conſtipatæ mala; at, ſi ad purgantia ſeſe conferant, eadem viſcera debilitare ſentiunt: Unde quidem à præſenti incommodo liberantur; verùm interim in deterius ruituri ſunt. Hæc autem, & ſimilia perſuadent, non ingratum opus fore, ſiquis totum hoc negotium examini ſubjiceret; atque utrinque incommoda perpendendo, quî tutiſſimè ac facillimè quodcunque eſt hoc ævi tranſigitur, indicaret.

Nec deſunt ſanè plura hominum exempla, qui tardè conſenuerint, & quibus extrema ætas leniter defluxerit; quíque ſeriùs aut citiùs, prout natura ipſorum tulerit, placidè expirârint. Illud etiam videtur medicorum arti gloriam imprimis conciliâſſe; quòd decumbentes morbis, quos aſtantes deploratos crediderant, quaſi reviviſcerent, iterúmque apud notos officijs bonorum fungerentur. Quod ipſum, per fabulæ veluti nebulam, indicârunt nobis vetuſtiſſimi Græcorum ſcriptores; dum referunt, Inferorum Deum apud Jovem conqueſtum

queſtum fuiſſe, quòd Æſculapius ſuum imperium exinaniret; ideóque, quòd paulò ante Trojana tempora fulmine percuſſus fuerit: Non quòd, uti opinor, mortales ab Orco revocare princeps ille medicorum moliretur; verùm, quòd plures, qui à vitæ officijs valetudinis incommodæ causâ ſejuncti eſſent, & tanquam defuncti vicinis haberentur, rurſus convaleſcentes ad munia ſibi decora obeunda ſuſcitaret: Unde amici, tanti beneficij gratiâ, poſteris hominem, velut numen, colendum tradiderunt.

Verum enim verò, nequis dicat, longævitatem ſanam non eſſe hujus ſeculi, ſed peculiarem ſeu Aureæ (quæ dicitur) ætati, ſive temporibus heroïcis, unicum liceat proferre exemplum ſenis, quem nonaginta annos nuper expleviſſe audivi. Etenim notus mihi fuit jam ſeptuagenarius, qui tunc temporis negotijs diſtinebatur, ſéque non à conſortio juniorum ſubtrahebat, ubicunque ſe indigna non eſſet paſſurus. Temperies ei æquabilis, non tamen decentis vehementiæ planè expers, quandocunque cauſa ſatis gravis oborta eſt. Quinetiam,

adeò occulta fuit ætas, ut ex aſpectu aut geſtu ſenectutem cernere omnino non eſſet. Quum demum divitijs, prolixâ curarum ſerie, non ſine artis beneficio, à ſeipſo acquiſitis affluëret; hæ ſubitò unius noctis caſu diſſipantur. Tum, verò, omnes expectare, quo animo rei familiaris totam ferè jacturam ferret; & numerare annos; unde, uti nil boni impoſterum venturum arbitrabantur, ita & ſpem de novo inchoandi inciſam eſſe, ijſdem videbatur. Ille autem, quum primùm calamitatem reſciviſſet, attonitus, & tanquam mente captus, diſcurſans huc illuc amicis occurrebat. Sed tamen animum fluctibus commotum repreſſit inſitus atque integer adhuc vigor; ac, veluti ſenior nauta procellis aſſuetus, niſi dum urgeat vis aut lucta ventorum, non diutiùs earum meminit; eodem planè modo, poſt amiſſas opes, non ampliùs perturbatus, alios ſibi jungit, quorum auxilijs, ipſe, perinde atque illi, novas adipiſci queant divitias: Scientiâ enim ſe pollere, quam quidem larga experientia confirmârat; quomodo ijdem, ſe ſocios addentes, ſuas facultates augeant, dum ipſe, quas perdidit, recipiat.

piat. Dein, quicquid in votis fuit, paucos poſt annos ſucceſſit; iterúmque felix evaſit, morborum itidem immunis perſtitit.

Dum verò ſæpiſſime gratâ Neſtoris noſtri conſuetudine uſus fuerim, conjunctis aliquot inter cives ſuos optimis, plura ab eodem, quæ juveni nondum comperta eſſent, quærebam: Atque, inter alia, memini me eo referente didiciſſe; omnem ætatem ſuas habere dotes, ſua præmia.

Etenim rogo; Quamobrem, ita ut ſæpe fit, veſtræ ætatis homines adeò ſunt difficiles? Quare vobis omnia juniorum facta diſplicent? Itáne habet, quoniam voſmet ipſi non agitis? Ipſe autem per interrogationem reſpondit; Túne, ait, meminiſti, quænam eſſet opinio factorum à te puero, poſtquam inter viros relatus fuiſſes? Indignatus ſanè vir puerilia contemſiſti.

Nónne igitur idem ſentire noſmet velis de veſtris nugis, qui veſtros annos pluſquam duplicavimus? Aut, in tantum erratis tuis faves, ut, ſi decem abhinc annos ſanus vixeris, eadem tibi placitura ſperes?

Mox

Mox etiam addit, ſe à pueritiâ uſque comparare ſolitum fuiſſe varias, at novas, opiniones, quas tunc temporis amplectebatur, cum hiſce, quas decem proximi anni intulerant; ac, perpetuò ſibi idipſum accidere, fateri, ut eaſdem in mentem revocatas penitus repudiaret, eo modo, quo vir puerilia abjiceret.

Porrò, ſubjicit, pro more meo, quando nuper ſeptuaginta annos compleviſſem, de certis opinionibus, quas cooptaveram quinquaginta, imò & ſexaginta, annos natus, judicium dedi; ídque, crede mihi, non de levibus, ſed de rebus maximi, ut mortalium ſtat ſententia, momenti: Quas itidem junioribus habendas relinquo.

Novi equidem, quàm arctè grandævi hujus memoria cuſtodiret inſignes animi dotes; ideóque auſcultavi libenter, & curioſiùs, quæ vellem, percontatus fui. Etenim ſodalem eo ſene vix lætiorem optares, nec minùs deformatum vitijs, quæ comitem injucundum reddunt.

Ipſe verò, totam vitam, intra urbis, in quâ natus atque eductus fuerit, pomœria, veluti Socrates, degerat; neque ab eâdem longiùs receſſerat, niſi negotijs ad metropolim forſan accerſentibus; quando menſem circiter abeſſe ſolitus fuiſſet.

En exemplar hominis, qui vitæ ſpatium ſecundum naturam tranſijt; qui quidem principio ampliſſimas corporis animíque dotes obtinuerat, ipſáſque in ultimum tempus conſervavit.

Igitur, ut ſummatim dicam, tam varia eſt ætatis vergentis indoles, ut neque in eâdem de ſanitate, vitæque functionibus huic ætati congruis deſperandum videatur, antequam ad ejus limites, qui prorſus incerti ſunt, deventum fuerit; uſque dum imbecillitas prohibet multos exoptare annos; aut morbus aliquis exitialis premit, ac ſpem, ægrotum eidem ſuperſtitem fore, in univerſum abſcindit.

CAP. III.

De diversa natura ac consuetudine hominum ætatis vergentis.

QUONIAM hæc ætas ab antecedentibus differt, eò quòd consuetudo quædam regiminis ac diætæ jamjam inoleverit; quódque maturo experientiæ judicio tunc temporis fruantur homines; ideo proximè dicendum videtur de diversitate eorundem naturæ, ac dein moris eidem superadditi, usúque ac consuetudine confirmati. Etenim singulis peculiaria quædam sunt, quorum origo nunc lateat, nunc etiam explorari queat; quæ tamen scitu opus est, antequam de tuendâ sanitate, morbísque aut præcavendis aut medendis consilium capiatur.

Proinde,

Proinde, diſpicere uſui foret; qualis natura, an robuſta & vegeta, an debilis & enervata; an verò in obeſum habitum, an à pingui in macrum divertat; aut utrùm corpus mediocriter habeat, nec in utramvis partem ſeu craſſitiem ſive gracilitatem inclinet.

Porrò, de ſpiritibus etiam quærere non alienum eſſet, an agiles, citiúſque expendi ſoleant; an uno propè tenore perſiſtant: An itidem quies facilè fatigationem tollat; ſive otio diuturniore ad reficiendum opus ſit.

De Pulſu itidem, an ſit æquabilis, & omnibus numeris regularis; an ſubinde intercipi ſoleat, vel ullatenus inæqualis ſit.

Dein, an reſpiratio plena ſit, ſine anhelitu, aut tuſſi.

An, tandem, appetitus vigeat, vel debilis ſit; nec aliter, quàm priori vitæ tempore habere conſueverat.

Conducit

Conducit autem præcipuè ad notitiam humani corporis, & ea præſagienda, quæ eidem in hâc ætate vel commoda vel incommoda eventura ſunt; ut cognitum ſit, quibus ab infantiâ uſque morbis opportunum fuerit; qúæque remedia idem juvant: Quomodo etiam illud habeat, quando medicamenta aſſumta fuerint.

Atque, itidem, noſcendum eſt; an amara, ſalſa, acria vel acida ſubinde urgere ſoleant.

Quinetiam, omnino utile futurum eſt, de parentibus, totâque cujuſvis proſapiâ ac genere rogare; quibus illi morbis laborarent; & quiſnam tandem exitialis fuerit: Atque ita, de eorundem hiſtoriâ excerpere, quæ in uſum natorum verti poſſunt.

Etenim, exinde intelligenda ſunt plura, quæ aliunde difficilia erunt cognitu; præſertim, ſiqui ſint inter conjunctos ſanguine, qui ſimiles per omnia videntur; &, ſi

ijſdem

ijſdem ipſi afficiantur corporis vitijs, quæ toti genti peculiariter obveniſſent.

Proximum autem eſt, ut de conſueto vivendi more agatur; quum maximi ſit momenti, utrùm quis teneris annis molliter ac delicatè tractatus fuerit; an duriter, & aſperè: Utrùm exercitationibus laboribúſque aſſiduis aſſueverit; an ignaviâ & deſidiâ priùs innutritus fuerit.

Deinde, multum intereſt inter literarum ſtudijs deditum, otióque Muſis dicato per ævum gaudentem; atque diſtentum gravibus negotijs, cujus mens acerrimâ anxietate quotidie agitatur, curíſque mordacibus diſtrahitur.

At verò, id nôſſe non alienum foret, utrùm perpetuò, & ſine vacantis temporis intercapedine labores curáſve graves ferre ſolitus fuerit: Quòd ſi id acciderit, quali valetudine, quamdiu occupatus fuerit, utatur; ac quali, ſiquando vacaret. De quâ quidem re certioribus factis decernere licebit, ſicuti quantum natura pati valeat, ita etiam quòuſque conſuetudo invaluerit.

Porrò,

Porrò, in victûs rationem inquirere oportet, priuſquam norma vivendi impoſterum ſtatuatur : Qualem cibum potúmque ; quantâ copiâ ; & quoties intra diem aſſumere quivis ſolitus fuerit : Quis itidem fuit animi relaxandi modus ; quodnam voluptatum genus ; quis earundem uſus, vel rarior, aut etiam frequentior : Unde, demum, ſe hilariorem, vel triſtiorem ; unde ſe feſſum magis, ac gravitatis ſenſu affectum poſtea agnoverit ; licèt ipſo tempore jucundior evaderet.

Proinde, idipſum in vitâ utile videtur, quod iter facientibus ſolenne eſt ; quandocunque viam ingreſſuri ſunt, quam nondum tranſierunt : Qui quidem commoda atque incommoda, quæ alij experti fuerunt, ſoliciti ſciſcitantur ; iiſque enumeratis, adverſus hæc ſe tueri, illa verò ſibi acquirere, conantur ; proſpiciúntque, ne, quæ reliquis profuerunt, ſibi in viâ deſint. Atque ita, utraque conferentes cum ijs, quæ in itineribus præteritis ſibimet acciderint, tutiores evadunt, meliúſque ſibi conſulunt. Ad eundem ferè modum, qui,

qui, quod vitæ reliquum eſt, feliciùs tranſigere cupiunt, eadem exquiſitè à peritis percunctabuntur; quæcunque alijs, ſui per omnia quàm ſimillimis, ſeu nocuerunt, ſive profuerunt: Idque non ſine recordatione eorum, quæ ſeipſos annis præteritis aut læderent aut juvarent. Ex illis verò omnibus, certa quædam deſumunt, quæ tanquam monita ſive conſilia apud animum proponant.

Præterea, prout natura cujuſque diverſa ab alijs primùm fuit, ita etiam diverſum induit ſibi habitum; íſque tandem in morem perductus eſt; atque in alteram (quæ dicitur) naturam abit: Unde, quod primò naturæ ſuæ conſentaneum erat, aut ſaltem innocuum, jam tanquam malum refugit.

Immutatur itidem frequenter natura caſu quodam; quale quiddam ex crapulâ nonnunquam evenit: Unde, quod antè gratiſſimum fuiſſet, idem ab hoc ipſo pòſt abhorret.

Ejuſmodi etiam ſunt poſt graves morbos immutationes; unde non rarò totus diſplicet victus, qui antea arriſiſſet. Exinde verò fit, ut vix quiſquam ætatis vergentis eodem vivendi genere utatur, quo juventâ adhuc florente gaviſus fuerat.

Itaque hæc omnia perpendere, quaſi in trutinâ, oportebit; ac dein, quicquid ſalutare eſſe deprehenditur, quid verò fugiendum, ex rationum momentis decernere æquum erit: Ideóque, non uno talo ſtabit illius ſententia, quiſquis ſeſe idoneum hujuſce rei judicem comprobabit. Atqui, pro varijs cujuſque & naturâ & habitu, diverſis planè monitis, & prorſus diverſis inſtitutis opus erit.

Propterea, etiam hinc ortum habere debent conſilia, quæ vitam ad hanc vel illam normam dirigant. Siquidem cujuſque refert, ab eodem more, cui diu, nec ſine fructu, aſſueverit, non longiùs recedere, quàm ut ipſa vitet, quæcunque in valetudinis aut vitæ diſcrimen alios, ſui perquam ſimiles, inferre ſoleant.

Interea;

Interea, non inficior, ex his, qui ſimùl iter vitæ faciunt, nonnullos ætate provectiores mitiùs, nonnullos aſperiùs, tractari: Quod quidem ſæpenumero evenit, quoniam hi juxtà cum illis firmitatem pari gradu non participant: Ideóque, quæ in ſubſidium adhibentur, horum vires eòuſque, quò firmiorum, promovere nequeunt. Veruntamen, id non impedit, quò minùs omnes, qui conſilia non ſpernunt, exinde auxilij nonnihil, quamdiu flamma vitalis ali queat, percipiant.

Cap. IV.

De Consilijs ætati vergenti accommodandis.

QUONIAM anni, qui ætatis maturitati succedunt, in rationibus hujus instituti primas obtinent, errores quidem, intra tempus vitæ anteactum, hîc non nisi obiter notantur. Attamen, ut ea facultatum naturalium integritas adsit, propter quam homines sani dicuntur, maximè requiritur: Non ut, perinde atque ætate constanti, adhuc vigeant; sed, ut nullo inveterato decumbant morbo, ex quo omnis convalescentiæ spes evanuerit.

Proinde, consilia originem ducunt à deliberatione de sanitate; utpote quam, vel

vel etiamnum integram tueri, vel amiſſam recuperare opus eſt. Sanitas autem, quam ſenioribus promittit medicina, vel morbi immunis eſt, vel hæc, quæ recurrente certis tempeſtatibus morbo intercipi ſolet: Illa quidem paucis, hæc verò pluribus ſorte datur. Interea, tutius eſt plerumque iter per periodos haſce morborum; etiamſi idipſum moleſtijs magis obſitum ſit. Etenim natura id operis molitur, ut infenſiſſimos ſibi hoſtes domet; útque, quibus uno impetu ſuperandis impar ſit, hoſce per partes ſingulatim vincat, & exterminet.

Conſilia autem, quæ maximi momenti videntur, aut communia quædam ſunt, quæ depromuntur ex legibus cuivis naturæ accommodatis, quæ quidem in hâc ætate verſatur; vel ſpecialia, quæ reſpiciunt peculiarem aliquem morbum, quo quis tunc temporis præſertim laborat.

Duplex verò hoc conſiliorum genus oritur ex obſervationibus; quarum aliæ, à prudentibus, qui in medicorum cenſum

non relati fuerunt, traditæ in medicinam cooptantur; aliæ medicis ipſis debentur.

Interim, advertendum eſt, quòd iſtiuſmodi conſilia non tam anguſtos intra fines coërceant, ut ab officijs, propinquis, amicis, vel patriæ debitis, homines ſejungant; nec ea quidem vetent, quibus ſapiens frui optaret. Etenim, latum eſt iter, in quo naturâ duce pergendum eſt; nunc ad hanc, nunc ad illam declinans partem; & quod, interdum per uberiorem, lautiorem, ac magis varium victum, interdum per tenuiorem, ac ſimpliciorem tendit. Neq; duobus quidem hominibus, ex communi mortalium grege deſumtis, idem victûs aut exercitationum modus perpetuò idoneus videtur; neque etiam eidem varijs temporibus prodeſt. Siquidem vix duos invenias, qui eundem per omnia tenent curſum: Neque idem ſui ſimilis diu manet; aſt omnes in horas mutantur; adeóque ex ipſis, quæ hâc vice adjutoria fuerint, aliâ rurſus cauſa metuendi exoriri poteſt.

Primum autem eſt, quod prudentis, qui in hoc vitæ ſtadio decurrere cœperit, menti obſervatum

obverſatum iri videtur ; ut in præterita inquirat, ſtatuátque exinde ; Talia nocitura impoſterum, (niſi peculiaris aliqua ratio aliud ſuadeat) qualia, ad hæc uſque ævi ſui tempora, noxia ſibi perpetuò expertus fuit. Idque non modò de ijs intelligendum, quibus ineſt peculiaris quædam à naturâ repugnantia ; verûm etiam de hiſce, quæ, licèt non adeò manifeſtis ſignis adverſentur, tamen ſemper læſiſſe noverit. Et hoc quidem non ſolùm ad alimenta, ſed ad exercitationes itidem, ſtudiáque, ut & aëris temperiem, ac ſoli naturam extendere non à ratione alienum videtur. In hâc, enim, ætate non amplius ſpatium datur tentandi, quâ ratione quis gratiam ineat cum ipſis, quæ vegetis annis infenſa deprehenderit.

Igitur, haud abſonum omnia repudiare, tanquam ſibi inimica, quibuſcum in juventute ſuâ luctatus fuerit ; utpote cui jam non impune in certamen deſcendere liceat. Quinetiam, abſit prorſus omne illud, unde dolorem, unde ægritudinem, unde tandem moleſtias ſenſerit.

Secundò, multa, quæ olim grata fuerint, nunc omittere ſatius eſt. Ita enim res habet, ut, quæ virorum animos excitare ſolent, ea in ſenium vergentes fatigent; qúæque hilaritatem virili, iracundiam provectiori ætate parere apta nata ſint: Quos itidem labores voluptatis causâ ſuſcipiunt viri, hos magis atque magis, quemadmodum ſenectus obrepit, ijdem improbant. Nempe, hoc judicium ex largâ experientiâ provenit; eâdémque indies confirmatur.

Itaque motus impetuoſos, opera diuturna ac graviora, iras, curáſque, & cuncta demum violenta, perinde atque toleratu difficilia, non inconſultè fugiunt ætate provectiores.

Propterea, itidem, prudentis eſt, cibi potûſque genus ac modum ſervare; ubi in mollibus & ſimplicibus rariùs, in acribus & compoſitis ſemper ferè, quicunque fuerit modus, peccatur.

Interim,

Interim, non negandum, plures, quos vivendi tædium afflixit, auſteros nimiùm affectare mores; qui cauſam quidem quærunt, quamobrem hominum deſerant conſortium; antequam eos, per annorum ſeriem, aut virium defectum, inter emeritos numerare fas ſit.

Hoc autem naturâ invitâ faciunt, quæ provectos, ipſóſque ſenes, ſi non lætos, attamen minimè triſtes eſſe jubet; &, ſi non frui adhuc vitâ liceat, eâdem tamen leniter, & non ingratè uti concedit.

Itaque, nec mœſtitiæ indulgere ſuadet natura, nec genio; nec ruſticiùs vivere, nec magis, quàm par eſt, opiparè: Quinimo velit, moribus ſeniores eſſe adeò faciles, ut juniores non modò non abigant, verùm itidem eoſdem attrahant.

Intereſt, enim, non exulare ab eorum conſortio, qui ſpirituum copiâ exultant; quorum

quorum vires indies augeſcunt; quique ad ſpem meliorum perpetim eriguntur. Etenim accenditur denuo horum ſocietatē vitalis flamma; alitúrque ipsâ ad extremam uſque ſenectutem; eâ tamen conditione, ut ne difficiles ſodalibus ſeſe præbeant; néve diſpliceant læti juvenum mores; nedum ſuperbè, aut cum faſtidio ſe gerant. Scilicet, frangit vires animi ſimùl corporíſque ea ſolitudo, quæ cum metu & triſtitiâ conjungitur.

Idem etiam otium & deſidia efficiunt; adeò ut, qui ijs ſeſe dedant, querantur plura, quàm ſentiant, mala; miſeriáſque, dum jam quaſi ſtagnet vita, ſingulas cum luctu notando, ſatis ſuopte ingenio graves exaggerent. Ideóque, habeant propria ſibi negotia provecti; habeant ſaltem, quibus benefaciant: Neque ſe indignum opinentur, juvenum, qui aliquot poſt annos ſequuntur, benignos eſſe comites, & beneficentiæ exemplaria.

Hoc enim vult natura, quæ curis hanc ætatem circundat; nimirum, ut eadem benefica, quæcunque utilia vivendo collegit, communicet: Idque avaritiæ, propter quam ſenes vituperantur, tanquam fræ-num injicit; dum ſanos eſſe ipſos non-vult, niſi amicitiam juniorum colant, eóſ-que in ſocietatem ſecum cooptent.

Et conſtat quidem requiri, quæ curas ſæpe perquam inanes diſſipent, animúm-que nimis ſerijs defixum relaxent. Horæ enim tunc temporis graviores; tempe-ſtatéſque non ſuaviter, uti priùs, præter-labuntur: Fruſtra autem fueris, ſi aliunde, quàm à naturâ ipsâ poſcis remedium; quæ, quoniam ſeniores experientiâ vitæ anteactæ inſtruxit, ab ijſdem poſtulat, ut ne cum ipſis, quod didicerunt, ſepulcro committatur; verùm, ut illud ijs, quos poſt ſe relicturi ſunt, tanquam lampada viæ ignaris, tradant.

Quamobrem, à propoſito non aberratur, quando ob oculos ponamus, quantum à ſe

ſe diſcrepent priores ac poſteriores ætates. Infantiæ quidem debilitas lacticinijs primùm alitur; ex quibus ad alimenta ſpiſſiora progreditur gradatim pueritia: Unde ad adoleſcentiam aſſurgentes varijs cibis, potulentíſque aliquatenus ſpirituoſis fruuntur. Exardet inde juventus, affectibúſque violentis corripitur; augetúrque quotidie vigor, donec maturitatem perfectam attigerit.

Jam, verò; vita conſtare per plures annos videtur, quo tempore elucent virtutes à naturâ inſitæ; prout quiſque ad majora natus eſt; vel humilioribus ſolis contentus vivit. Exinde, tardiùs aut celeriùs traducitur hoc ævi ſpatium; ídque pro diversâ hominum naturâ, non ſecus ac operibus, & innumeris, quæ circundant, caſibus, ipſâque diætâ ac regimine, maximè varium apparet.

Dehinc quidem naſcitur malorum experientia, ac nonnunquam bonorum: At, quum hiſce quàm illis rariùs occurratur; adeò ut, quæ non ineptè ſibi moliri viſi ſunt,

ſunt, ſpem conceptam ſæpiſſime fallerent; felicis expectatio eventûs ſenſim imminuitur. Id verò præcipuè urgere ſolet, quòd vix quicquam inter animi corporíſque bona, cui fidendum eſſet, nôrint. Igitur, abundans cautela tandem conſilijs dominatur; atque ad eam, tanquam ad portum, ſe recipit provecta ætas: Idque quidem rectiſſimè decernit natura, ut, quando omnia in deterius ruentia videat ſera ætas, atque à malis undique obſideatur, hæc ab ijs dies noctéſque, quantum fieri poteſt, ſibi caveat.

Hinc, itidem, frænum violentis omnibus injicere diſcunt grandævi, iíſque contentos eſſe, ex quibus dolores ærumnæque ortum minimè trahunt. Quæ quidem in votis habent: Attamen aliud vult rerum natura, quæ eos immiſcuit junioribus, neque adhuc de grege mortalium excerpſit; nec, tanquam communi eorundem lege ſolutos, ſecrevit: Unde neceſſe eſt, ut aliorum bonis malíſque tangantur.

Interea,

Interea, autem, dum hæc avertendo, aut emendando, illa verò conſequendo, atque inſuper ampliando, ſtabiliáque reddendo animus præclarè occupatur, ac detinetur, non rarò evenit, ut ultimus vitæ actus tranſeat, atque ita, natura periodum ſuam feliciter abſolvat. Nimirum, eâ præcipuè ratione beata finitur vita: Quæ, planè quaſi circulus, cujus initium nobis incognitum fuit, ſine exitu itidem præcognito conſummatur.

CAP. V.

Consilia medica de sanitate tuenda ætate provectorum.

HACTENUS monita prudentum, qui medicis non ascripti fuerunt, relata sunt; jam verò consilia medicorum tractanda: Ac videndum, qualia illa sunt, quæ ipsi præceperunt, de sanitate provectorum constanter, quantum licet, tuendâ.

Primùm, igitur, consulitur, ut præ cæteris curetur, ne nimiæ sanitatis speciem vultu præbeant. Quod enim generatim de omnium ætatum hominibus monet Celsus, id certè locum imprimis habet, ubi de provectorum sanitate consultum fuerit.

Verba

Verba ſunt; * *Si plenior aliquis, & ſpecioſior, & coloratior factus eſt, ſuſpecta habere bona ſua debet. Quæ, quia neque in eodem habitu ſubſiſtere, neque ultrà progredi poſſunt, ferè retro, quaſi ruinâ quâdam revolvuntur.*

Notandum verò, quod Celſus commune eſſe omnium docet, hoc † Coum ſenem ad athletas retuliſſe, eóſque, qui ſimilem illorum habitum optârunt, ſeſe exercitando, atque ad normas eorum nimiùm accuratas vitam dirigendo: De quibus quidem ** Celſus judicium profert; quòd *ea corpora, quæ more eorum repleta ſunt, celerrimè & ſeneſcunt & ægrotant.*

Quoniam autem apud Græcos fuerunt in honore, qui in ſacris ludis vicerant; juvenes, qui præ cæteris eminere ſtudebant,

---

* L. II. c. 3.

† Ἐν τοῖσι γυμνασιηοῖσιν, αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραὶ, ἢν ἐν τῷ ἐχάτῳ ἔωσιν· ὃ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέω, ὐδὲ ἀτρεμέειν· ἐπεὶ δὲ ὐκ ἀτρεμέουσιν, ὐδέτι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λέιπεται ἐπὶ τὸ χεῖρον. Ἀφορ. T. 1, 3.

** L. I. C. 1.

ſeſe

ſeſe quotidie exercendo non inhabiles ad certamina reddere, ingenti æmulatione atque animorum contentione nitebantur: Ex quo demum medicis innotuit, quid mali ex communi hoc vivendi inſtituto ortum habuit.

Quòd ſi, igitur, more athletarum vivere junioribus improbandum eſſet, propterea quòd vitam breviorem redderet, aut ægrotationem accerſeret, & ſenectutem acceleraret; multò ſanè magis hoc ſenioribus nociturum eſt: Utpote quibus per ætatem ultrà progrediendi, novúmque à naturâ vigorem aſciſcendi, ſpes nulla concipi poſſit. Etenim de vitâ ipſorum aliquid ſemper deceſſurum eſt; neque ſanus eorum habitus eòuſque, quò prioribus annis, aſſurgit.

Quapropter, eo ſanitatis modo contentos eſſe ſeniores oportet, qui ætati naturæque pariter ſuæ conveniat. Et, ſi quando ad aliquid ultrà extenditur corpus, certo certius eſt, eo ipſo, quod ſupervacuum eſt, hoc repletum iri: Ideóque,

quamprimum conſtiterit, omne iſtud tanquam onus detrahere minimè pigebit.

Igitur, prout quivis gaudens optimo corporis habitu, qui in lubrico ſecundæ valetudinis culmine conſiſtere diu nequeat, grandis jam natu præ cæteris periclitatur; ita occaſionem de eodem aliquid demendi mox arripere, illum oportebit, quiſquis ſanitate conſtanti frui optat. Attamen, in hoc faſtigio poſitis, deſcendere non niſi gradatim, licet; atque eâ quidem lege, ut reſtituant paulatim, quicquid ſine moleſtiâ aut ægritudine detrahitur. Etenim, huc omne tendit conſilium, ut alimentis iterum egeant, quibus denuo, quaſi ab initio repetentes, recreentur; unde itidem nihil de facultatibus corporis animíve decedere ſentiant.

Itaque, quum periculum ab utroque extremo, tum inani, tum repleto corpore, impendeat, cautione opus eſt, ne, dum hoc fugimus, in illud incidamus.

Ergo,

Ergo, in loco laudato ſubjungit * Hippocrates ; *naturam* cujuſque, *quouſque ferre poſſit*, perpendendam eſſe ; *ibique ſubſiſtendum.* Quâ quidem ratione, vires illius non frangentur ; at, ſeorſum à morbo, in gradu ſanitatis debito conſiſtere valeat.

Quoniam autem aliâ tempeſtate magis, aliâ verò minùs, ſecurè vivitur, operæ pretium videtur, ut in eaſdem inquiramus. Priùs verò quàm ad ſingula deveniamus, animadvertere par eſt, † naturas hominum à ſe invicem diſcrepare, adeò ut aliæ æſtate, aliæ hyeme benè vel malè habeant : Quam quidem diſtinctionem, per totum vitæ curriculum uſque ad extremam ſenectutem, in nonnullis videre eſt. Attamen, id non impedit, quò minùs, quæ ſequuntur, obſervationes fidem atque attentionem mereantur ; tanquam ex illo

---

* Ὁποίη ἂν ἡ φύσις ἕκαστος ὑπομένειν, ἐς τοῦτο ἄγειν. Ἀφορ. T. I, 3.

† Ἀφορ. T. III, 2.

monitorum genere, quæ plerumque in uſum ducere liceat : Quanquam, etiam, de eâ re in ſingulis naturis, medicus prudens cumprimis percunctetur.

Tutiſſimi quidem *hyeme, qui inter juventam ſenectutémque ſunt*, à * Celſo ex Hippocrate † pronunciantur ; ut & *ſenes æſtate, & autumni primâ parte.* Dein, *inimicior ſenibus hyems*, ait Celſus. Non quòd ea anni tempeſtas, frigore ob longam ſolis quotidie abſentiam, obliquóſque poſt ortum radios, unde animantium æquè ac vegetantium vita languet, ſolùm notetur ; verùm etiam, quòd morbi tunc temporis generentur, quibus ſpeciatim obnoxia eſt hæc ætas.

Provectioribus enim pituita, ** hyeme durante, moleſtiſſima eſt ; adeò ut, niſi

---

* L. II. c. I.

† Τῷ δὲ θέρεος, καὶ τῷ φθινοπώρῳ, μέχρι μέν τινος οἱ γέροντες · τὸ δὲ λοιπὸν τῷ χειμῶνος, οἱ μέσοι τῆσιν ἡλικίῃσιν [ſupple ex præcedentibus] ἄριστά τε διάγουσι, καὶ ὑγιαίνουσι μάλιστα. Ἀφορ. T. III. 18.

** Ἀφορ. T. III. 12, 23.

viſcoſum

viſcoſum hoc onus ſolvatur, in diſcrimen eos perpetuùm inferre valeat. Cui quidem malo media ætas, dum firma manet, proprijs viribus reſiſtere potis eſt.

E contrà, tutiſſimi ſunt ſenes æſtate, & autumni primâ parte; quoniam ijs tempeſtatibus non modò calor ſolis ſatis viget; ſed & morbi, quibus ſenectus opportuna eſt, abeſſe ſolent: Imò etiam ijſdem oppoſiti dominantur; ac quales ex ipſis fortè derivantur fontibus, unde ſenibus infirmis ſuppetiæ afferuntur. Etenim, vix dubitare licet, quin radices, legumina, fruges, oleráque & fructus, æſtate aut primâ autumni parte, plus valeant recenter collecta, ad exuſcitandam vitæ flammam languidam ac tremulam; quàm in hyemem ſervata, aut quæ ſolem æſtivum nondum ſenſerunt. Quapropter, & imbecillitati ſenectutis congrua ſunt; & adoleſcentiæ creſcentem indies calorem ad efferveſcentiam excitant.

Quandocunque autem de ſtatis anni temporibus ſermo ſit apud medicos, is omnino de communi naturæ ordine intel-

ligendus eſt; qualis plerumque obſervatur. Interim, verò, excipiendæ ſpeciales cœli aëríſque mutationes; quæ improviſæ ſub artis regulas minimè cadunt. Attamen, hæ ſubitaneæ tranſlationes ab altero in alterum extremum, ſeu frigoris ſive caloris, ſiccitatis vel humiditatis, gradum, inter evidentes adverſæ valetudinis cauſas, ſæpenumero, nec quidem injuriâ, recenſentur. Quâ de re ſequentia ex * Medico ſæpe laudato huc transferre liceat; *Immutationes tempeſtatum maximè morbos pariunt: Atque in ipſis tempeſtatibus magnæ variationes aut frigiditatis aut caliditatis, cæteráque ſimiliter ad eandem rationem.* —— *In tempeſtatibus, quando eâdem die, nunc quidem caliditas, nunc autem frigiditas adſit, autumnales morbos expectare oportet.*

Ac hujus quidem effati interpretationem † mox ſubjungit, quæ Celſianis verbis ſic Latinè ſonat: *Ex tempeſtatibus optimæ æquales ſunt, ſive frigidæ, ſive calidæ; peſſimæ, quæ maximè variant. Quò fit, ut au-*

---

* Ἀφορ. T. III. 1, 4.

† Ἀφορ. T. III. 8, 9.

tumnus

tumnus plurimos opprimat. Cujus itidem rei rationem exponit ; *Nam ferè meridianis*, inquit Celſus, *temporibus calor : Nocturnis atque matutinis, ſimúlque etiam veſpertinis, frigus eſt. Corpus ergo, & æſtate, & ſubinde meridianis caloribus relaxatum, ſubito frigore excipitur. Sed ut eo tempore id maximè fit, ſic quandocunque evenit, noxium eſt.*

Veruntamen, haud ſcio an Celſus ſagaciſſimi Græci ſententiam aſſecutus fuerit. Siquidem Hippocrates * monitum profert ex intimo medicinæ penu ; quòd, *in temporibus, ubi idem tenor ſervatur, ſiquæ tempeſtatis cujuſque propria habentur, tempeſtivè* & ſecundum communes de eâdem tempeſtate obſervationes, *edita ſint, morbi feliciter conſtant & judicantur : In illis verò, quæ uno tenore non fluunt, morbi inſtabiles & incerti ſunt quoad exitum, nec facilè judicantur.*

---

* Ἐν τοῖσι καθεςεῶσι καιροῖσι, ἢν ὡραίως τὰ ὡραῖα ἀποδίδωσιν, εὐςαθέες καὶ εὐκρινέες αἱ νοῦσοι γίγνονται· ἐν δὲ τοῖσιν ἀκαταςάτοισιν, ἀκατάςατοι καὶ δύσκριτοι.

De his, igitur, medicus tanquam ancipitibus ambigit; quoniam ipsa morborum natura, per varium cœli morem affecta, hanc vel illam formam induit. Quam doctrinam mox confirmat; *Autumno*, enim, *morbi acutissimi sunt, & maximè lethales in universum. Ver autem saluberrimum est, & minimè lethiferum.*

Nimirum, pater ille artis medendi hîc loci de inconstantiâ in morbis ipsis loquitur, & unde ea præcipuè oriatur. Et hinc medicis cautionem adhibendam indicat; dum res ipsa in lubrico sita est. Priùs enim de mutationibus aëris, tanquam fontibus morborum autumnalium, scripserat; nunc verò, de morbis ipsis, qui ab ijsdem derivantur, vel autumno, vel vere: Hi quidem non ut plurimùm mortiferi; illi verò, si non in lethum desinant, difficulter tamen ad judicationem perveniunt. Idque sanè ab illius doctrinâ non abludit, qui ex professo omnę morbi vitium esse in spiritu docuit. Unde proximè videtur additum esse; * *Autumnus tabidis malus.*

---

* Ἀφορ. T. III, 10.

Hæc

Hæc autem ſive à Celſo confunduntur ; ſive ſaltem non ſatis diſtinctè apud eundem tractantur : Ideóque operæ pretium duxi, quaſi in tranſcurſu, eorundem mentionem facere ; quia cujuſque noſtrûm maximè interſit, nôſſe, non ſolùm, qui morbi ſingulis tempeſtatibus naſcantur, verùm & ad quem exitum perducant.

Propterea, enim, qui ſe ſanos tueri velint temporibus notatis proſpicere ſaluti ſuæ debent : Nec ullis mortalibus utilior eſt eorum cognitio, quàm noſtratibus Britannis. Quorum quidem patria, Inſula eſt varijs anni tempeſtatibus juxtà cum Continente obnoxia : Cui cœlum, utcunque varium & ſemper mutabile ſit, rarò tamen æſtivo ſole torretur, vel hyberno frigore inhorreſcit. Ideóque ad noſmet magis ſpectat, quicquid à celeberrimis medicis, de inconſtantiâ temporum in ipſis ſtatis anni tempeſtatibus, proditum fuerit.

Quemad-

Quemadmodum autem ſeniores, in æſtate & primâ parte autumni, à morbis tutiſſimi ſunt ; ita etiam tunc temporis, adverſus poſteriorem autumni partem & hyemem ingruentem, ſeſe tueri oportet. Namque, quum jam optimè valeant, conſilium inire præſtat, quibus præſidijs, à tempeſtatibus ipſis & frigore invaſuro, ſe muniant.

Antiquiſſimi medici, ex more qui in regionibus orientalibus invaluerat, conſtanti balneorum uſu hoc operis aggreſſi ſunt ; item & fomentis, aliiſque corpori exteriùs adhibitis. Attamen, hæc, quibus non aſſuevêre, provectioribus experiri vix licebit. Atqui, ſi quando lavatione opus habent ; in aquam egelidam ſeſe demittere nequaquam pigeat. Sudores enim elicere grandibus natu, qui jam ſani manent, per ſolem, vel exercitationem, per balnea vel fomenta, vix convenit. Siquidem hæc debilitant ; aſt imbecillos, quales habendi ſunt, de quibus ſermo eſt, parum admodùm juvant.

Purrò

Porrò, ſiquis præſidium in victu quærit, advertendum erit ad pronunciatum de ſenibus, quòd * *multis fomitibus extinguantur.* Poſtquam, enim, ulteriùs minimè creſcant homines, jejunium eoſdem non tam graviter affligit: Quoniam tam amplâ alimentorum copiâ non egent.

Itaque *ſenes* † *facillimè jejunium ferunt:* Unde quidem fit, ut, quum copioſiùs ingerantur dapes, ex ijſdem plurimæ ſuperfluæ oneri futuræ ſint; quod niſi amoveatur, periculum eſt, ne repentè opprimantur.

Convenit, igitur, huic ætati ante cibum ambulatio, eáque non ad fatigationem, aut etiam lenis geſtatio, uſque dum appetitus valeat. Iterare etiam non alienum, ſiquid poſt cibum ingeſtum ſenſu gravitatis afficiat.

---

* Ὑπὸ πολλῶν γὰρ [ὑπεκκαυμάτων] ἀποσβέννυνται. Ἀφορ. T. 1. 14.

† Ἀφορ. T. 1, 13.

Con-

Convenit, itidem, ſenioribus placidè per noctem requieſcere ; quod quidem exigunt vires, quæ nullâ aliâ methodo in tantum refici queant.

Verùm, uti ab autumni exitu, & hyeme ſemper cavendum ; ſic in patriâ noſtrâ perpetuò ad cœli temperiem attendere ætate provectis uſui erit, ut frigus defendant, ventóſque aquilonares ; qui quidem ſecum quaſi tela rapiunt, vulnúſque corpori, quod primò fortean non ſentiatur, frequenter incutiunt.

Igitur, hoc ab ijs, cœlo adverſo, quandocunque accidit, metuendum eſt : Undè, quâvis anni tempeſtate, non modò mors inopina percellit ; ſed & morbi diuturni graves, qui hanc ætatem circumſepiant, non rarò invadunt.

CAP. VI.

De affectibus ætatis vergentis.

ÆTAS jam vergens, ab imminuto indies vigore pendentibus, vitijs laborat: Hæc autem, ſeu in ſero, ſive in pituitâ, latitare veteres docent. Et debilitas quidem facultatum naturalium nonnullos ad ſenectutem accedentes magis, nonnullos minùs, premit. At, ſi eadem nullum afferat morbum, ſeniores, qui hoc ſolùm modo ſe habent, inter ſanos numerandi ſunt. Interim, ex duplici hoc vitiorum genere, is habitus, ubi in pituitâ morbi fomes reſidet, non tam malè audit, quàm ubi in ſero exundante conſtitui videtur. Imò etiam, pauciſſimi apud noſtrates ſunt ætate provectiores,

ctiores; qui, pituitam aliquando ſibi gravem fuiſſe, non querantur.

Quod autem attinet ad utrumque iſtud morborum genus; commune ijſdem videtur, ut vel ejus naturæ ſint, quæ per tempeſtates ipſas, temporúmque in ijs mutationes, & adducantur, & abſtrahantur; vel quales adeò ingraveſcant, ut in diſcrimen ſive vitæ, ſive functionum naturalium ab hâc, vel illâ, parte inferant.

De prioribus quidem ea monenda ſunt ſpeciatim, quæ aliquatenus minuant, nec tamen debilitent, aut alio aliquo modo lædant, donec immutatione temporis malum evaneſcat: Ad poſteriores verò tollendos, remedijs opus eſt, quæ naturæ ſuppetias opportunè ferant; quibus neglectis, Hippocratis * effatum veriſſimum deprehendetur, quòd, *quicunque morbi ſenibus diuturni ſunt, ut plurimùm commoriuntur.*

---

* Ὅσα δ' ἂν αὐτέοισι χρόνια νοσήματα γένηται, τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει. Ἀφορ. T. 11, 39.

En verò affectus ipſos ab Autore * laudato enumeratos; ſpirandi difficultates, & defluxiones cum tuſſi; urinæ ſtillicidia; urinæ difficultates; articulorum dolores; nephritides; vertigines; ſiderationes; malos habitus; pruritus totius corporis; vigilias; alvi, oculorum & narium humiditates; visûs hebetudines; glaucedines; auditûs gravitates.

De quibus quidem ſermonem eâ ratione inſtituere videtur, quâ ſingulorum affectuum cum cauſis ſuis conjunctio oſtendatur. Cauſæ vero, præter imbecillitatem à naturâ, ſive in ſero, ſive in pituitâ, nonnunquam conjunctim, aliquando etiam ſeparatim, reperiri ſolent. Quinetiam, ſeroſo ſæpe latici, ut & pituitæ, varia ſalium genera, uti etiam concreta interdum dura immiſceri palàm eſt. Interim, tamen, ne pigeat advertere; quòd quivis humor, qui à ſanguine ſecernitur, ſub ſeri, laxiùs accepti, nomine comprehendatur.

---

* Ἀφορ. T. III. 31.

Quando-

Quandocunque, igitur, hi affectus urgent, diſpiciendum primò, unde oriantur; exempli gratiâ, ſpirandi difficultas adeſto, quæ interdum pituitæ viſcoſæ, interdum etiam humori pulmonem prementi debeatur: In quibus quidem nonnunquam fomes arthriticus continetur. Siquando autem conſtet, ab hoc ultimo natum eſſe iſtiuſmodi affectum, ad morbum articularium, tanquam ſcopum medendi primarium, conſilium dirigere prudentis eſt.

At, ubi ſpiritûs difficultas videtur provenire ex humore ſeroſo pulmonem gravante, vel etiam pituitâ craſsâ locis circa eum hærente, in cauſas ejuſdem priùs quivis inquiret, quàm hanc vel illum tollere aggredietur. Forſitan, enim, qui hoc morbo laborat, quieti nimis, aut ſomno deditus fuit; aut cibum fortè, potúmque nimis craſſum ingerere ſolitus fuit; aut, etiam, meatus ſubito frigore occluduntur. Horum quidem varia cauſa eſt; at, niſi eâdem ſublatâ, morbus non ſolvetur.

Profectò,

Profectò, quando morbi diuturni facies obverſetur; cœli ſolíque mutatio, & exercitationes in eorum mentem venire ſolent, qui experientiâ didicerunt, quanta ab ijſdem ſperanda ſunt; præſertim, quoniam reliqua, quæ eruditi tradiderunt, ſine illárum beneficio vix proſunt: Quum tamen ipſis conjuncta, aliquando ultra ſpem circùm ſtantium, hominibus ætate provectis præſidio ſint.

Quò propiùs, igitur, morbi natu grandium ad chronicos accedant; eò magis ab eorum legibus pendent: Quapropter, horum regimen, longiùs ab eo, quod acutorum proprium eſt, recedit.

Ergo, quæcunque inanitiones fiant, ſi opus ſit, peculiare videtur ætati vergenti, ut ea, quæ leniter agant, non autem fortiora, adhibeantur: Atque ex adverſo, ſi repletione utendum ſit, parcè admodum alimenta, atque etiam ipſa ſola, quæ coctu facilia ſunt, dare expedit: Idque primùm conſiderare, ne oneri ſint, quæ

addantur; ſicut è contrà, ne vires abſumantur, quoties aliquid detrahitur.

Aliter autem ſe res habet in acutis; ubi metus eſt, ne recrudeſcat morbus, quum æger ſeipſum haud debiliorem ſentiat; etiamſi ſymptomata diſpareant: Aſt, in ſenibus ipſa virium diminutio pro morbo habenda eſt, qui difficulter levatur.

Quinetiam, ſi appetitus vigeat in acutis; ſuſpicioni locus eſt, ne acria ventriculum mordeant; vel aliqua lateat ejuſmodi cauſa, quam abeſſe ægrotantium refert: At, in ſenibus optimum reconvaleſcentiæ ſubitæ indicium eſt; adeò ut præcipuæ ſit medentibus curæ, ventriculum confirmare, eúmque omni arte corroborare.

Porrò, in acutis affectus nervei non in tantum metuendi ſunt, modò inanitio larga præceſſerit; quoniam acuti ſæpiſſimè ægrotis, per aliquot ſymptomata, quæ ad Hyſteriam ſeu Hypochondriaciſmum vulgò referuntur, valedicere ſolent: Aſt, in grandævis periculum hujuſmodi ſpirituum defectibus ſubeſſe, nemo non credit.

Ambi-

Ambigere demum fas ſit de Venæ ſectione, quatenus utilis ſenioribus habenda eſt; ídque, quia antiqui ultimam ætatem ſuſtinere non poſſe hoc auxilij genus judicabant. Et ſanè opinari liceat, hoſce vetuſtiſſimos medicos hoc judicij non protuliſſe, niſi poſtquam experti fuiſſent; utrùm commodum, quod ex ſanguinis, incisâ venâ, miſſione provenerat, vincere incommoda ſolebat, quæ inde exoriri ipſis videbantur.

Tum verò, conſiderandum, eoſdem de ultimâ ætate hoc monitum intelligi voluiſſe; quîcum tantum imbecillitatis conjungi arbitrabantur, ut cautionem præcipuè adhibendam docerent: Eò quòd, ſanguine malè miſſo, emoriatur vis, ſi quæ ſupererat, hoc modo eidem erepta, qui imbecillus fuerat.

Quapropter, vires priùs obſervandæ ſunt, quàm de copiâ ſanguinis mittendi ſtatuatur: Quod quidem abunde ei patebit, qui, quantum temporis, viribus poſt ſanguinis copiâ prælargâ miſſionem reficiendis, apud

populares noſtros natu majores, inſumatur, ſeriò cogitavit.

Veruntamen, fatendum eſt, hoc aliter ſe habere, quum de ijſdem agatur, qui per multos retro annos ſanguinem cum levamine detrahere aſſueverunt, quíque ferè perpetuum lentorem in eo latice oſtendunt.

Igitur, quandocunque levamen ſperari nequit, niſi ſecetur vena, paucas ſolummodo ſanguinis uncias ægro jam ſeniori detrahere forſan videbitur ; ne morbum diuturnum ex eodem uberiùs miſſo contrahat.

Hinc, autem, generatim dicendum venit, & de gracilibus & obeſis; quorum poſteriores meliùs ætate provectâ habent; faciliúſque arte medicâ tractantur : Utpote quibus jamjam additum eſt, quod detrahi poteſt. De prioribus, verò, diſpiciendum perpetuò, an eâ copiâ recreentur, quâ demſerit dies. Propè enim in morem tabis, ſenectus depaſcit ; ideóque minimè fidendum eſt cæteris bonæ notæ rebus; ſi gracilitas hâc ætate celeriùs adproperet.

Ergo,

Ergo, quæcunque corpus implendo contra tabem militant, ſenioribus attenuatis præſidio ſunt: Non, quòd obeſitas eligenda ſit; verùm, quòd ſanus, tunc temporis, habitus corporis in eandem, magis quàm macilentiam, inclinet. *Gracile*, enim, *corpus*, monente * Celſo, *infirmum eſt.*

Verum enim verò, hujus loci eſt, attentiùs naturam affectuum recenſitorum conſiderare; quos quidem in claſſes diſtribuere par erit; quò dilucidiùs exponatur, quâ ratione grandævos lædant, fontéſque malorum evadant, quibus ijdem aliquando ſeriùs, aliquando citiùs, ſuccumbunt.

Itaque nonnulli ortum ducunt ex tenaci quâdam materie, quo veluti onere viſcera laborant, unde functiones ſuas ægrè obire ſolent; alij verò, ex eâdem rejectâ in articulos, unde hi ad motum inhabiles redduntur: Alij, itidem, ex ſanguine lento proveniunt; qui quidem nonnunquam caput tentant, impediúntque, quò minùs

* L. 2. c. 1.

ſenſus clarè percipiant, aut animi ipſius dotes vigeant: Alij, iterum, in causâ ſunt, cur totum corpus malè habeat; &, cur ſpiritus depauperati fomitem undiquaque diffuſum, inani conatu, per cutis meatus diſpellere nitantur: Alij, tandem, perpetuò humorem eliciunt, corpúſque deſiccant. Dein, nil miri videri poteſt, ſi huic ætati curis vexatæ, morbíſque iſtiuſmodi obnoxiæ, ſomnus ſæpe denegetur.

Proinde, autem, ſecundum hanc diſtributionem ſinguli eorum commodè tractari queunt.

Veruntamen, operæ pretium videtur diſpicere, utrùm ordo, quo ab Hippocrate recenſentur, naturam rerum ſequatur. Primùm, igitur, veriſimile eſt, ſex poſteriores affectus, hos ipſos, quos ſanorum ſenum nomine inſignivimus, extremâ jamjam ſenectute confectos invadere; vel, ſaltem, non ita multos eorundem immunes, qui maximè longævi ſunt, perſiſtere. Etenim, ejuſmodi ſymptomata tum demum moleſtiarum abunde exhibent, quando malo habitu antecedente ægri laborârint.

Proxi-

Proximum etiam eſt, ut de ſideratione obſervemus; quòd eâdem rariſſimè natu maximè * grandes opprimantur.

Dein, verò, ſpirandi difficultatem ſæpe vergentibus in ſenectutem adeſſe notum eſt; uti etiam affectus, qui ordine Hippocratico ſequuntur, uſque ad vertiginem.

Quamquam, autem, hæc curioſiùs perſecutus nonnullis videar; non tamen ipſa, ſiquid conjecturâ aſſequar, ijs diſplicebunt, qui Hippocratem attentè perlegerunt; & quibus divini ſenis breviſſima facundia in delicijs eſt. Totus, enim, ille eſt in naturæ methodo indagandâ; atque eandem per omnia ipſe perſequi docet: Ideóque, quiſquis ſcripta hujuſce autoris guſtare velit, illum ad hanc veluti cynoſuram perpetuò attendere oportebit.

---

* Ἀπόπληκτοι δὲ μάλιϛα γίγνονται, ἡλικίῃ τῇ ἀπὸ τεϛαράκοντα ἐτέων ἄχρις ἑξήκοντα. Ἀφορ. T. VI. 57.

CAP. VII.

De affectibus ex materie tenaci.

QUAMDIU viſceribus tonus manet firmus, eáque exactè & abſque intercapedine munia ſua obeunt, humori peccanti hoſpitium vix datur : Neque in duritiem ſuccus iſte malignus concreſcit. At, ſi viſcera ſingulis officij ſui partibus implendis, aut oneri nimiùm gravi ſuſtinendo, imparia fiant; tum demum operi, quo liquores debitam partium tenuitatem, ac fluorem juſtum conſequantur, ſatisfieri nequit : Ac, dein, recrementis ſedes quæruntur; quibus eadem excepta, niſi tempori ejecta fuerint, primùm incraſſeſcunt, deinde etiam in corpora dura coaleſçunt.

Proin-

Proinde, ſiquando conſtet, id vitij viſceribus impactum fuiſſe, hoc non aliâ tutiùs viâ amoliri ſolet natura, quàm tranſlatione in articulamenta: Unde, amoto onere, viſcera quidem ſe recolligunt, morbus verò articularis naſcitur.

Propterea, naturâ duce, ſpirandi difficultas, quandocunque hâc materie ſata ſit, commodè per articulorum tumores ſublevatur: Idque feliciùs, quando id operis auxilijs peragatur, quæ huic naturæ inclinationi minimè repugnant.

Quæ, verò, partes ſpiritui accommodatas juvant remedia, nec ventriculum interim lædunt, hæc incaſſum nuſquam adhiberi ſolent; niſi, ubi cauſa ejuſmodi lateat, quam ars dimovere neſcit: Qualis ſcilicet intelligitur, ſiquando concreta ibi duriora, ac prorſus lapidea, impacta reperiantur.

Proximum autem eſt, quando defluxiones cum tuſſi partes eaſdem, vel non longè ab hiſce diſſitas vexent: Siquidem ſerum perpe-

perpetuò extillat; ac, nonnunquam acrius redditum, tuſſim ſubinde recurrentem excitat. Dein, verò, alia aperienda ſæpe via eſt; quâ quidem ipſe latex exundans derivetur: Idque, quamprimum patet, quòd non à tempeſtatis ſubitaneâ immutatione proveniat; verùm ab internâ magis causâ pendeat. Attamen, non fidendum ſolis ſerum derivantibus; verùm etiam liberior aëris ruſticani uſus conjungendus eſt; ac exercitatio ſimùl adverſis collibus, locíſque editioribus repetenda: Huic quidem ſuperare clivum aliquem proderit; ille verò, non niſi ad jugum montis crebrò conſcenderit, confirmatur. Siquidem hæc exercitationum genera partes reſpirationi dicatas roborant, ſiccántque; & faciunt, ut naturæ vires ſuppetant; quibus dein inſtructa, quicquid infenſum eſt, ſubigat, eliminétque.

Quinetiam, ſæpenumero ſpiritûs difficultas ex malo corporis habitu oritur: Et hic quidem primùm curandus, antequam ſpes illam levandi concipi poſſit. Itaque confugiendum eſt ad diætam ſimplicem, non tamen qualis enervet, vel ventriculum lædat;

dat ; ſed, quæ per diuturniorem à cibo abſtinentiam, vel exercitationes ſolennes, grata reddatur.

Ad eundem itidem modum pruritus totius corporis ſublevatur ; nempe naturæ conamina ſuſtentando, rebúſque lenibus, & boni ſucci alendo ; donec moleſtus iſtius morbi fomes per cutis ſpiracula exterminetur.

Vertigo in natu grandibus ex pituitâ generari ſolet, quæ, quum ventriculo adhæreat, in causâ ſæpe eſt, cur ſenectute fracti ſentiant inter ambulandum omnia circumagi.

Ergo, pluribus eadem opitulantur, quæ pituitam leniter ſubducunt ; ídque ſeriùs vel citiùs, prout ſanguis largiùs vel parciùs miſſus fuerit : Præſertim, ſi, quæ corroborant viſcera, adjiciantur ; quibus omiſſis, crebrò recurrunt vertiginoſæ affectiones ; ídque ita habere non inuſitatum eſt, uſque dum, alimentis boni ſucci repletis viſceribus, tonus exinde in integrum reſtitutus fuerit.

Porrò,

Porrò, tenax hæc materies ſecundum gradus ſingulos intelligitur; adeò ut præcipuæ medentibus curæ ſit diſpicere, utrùm eò viſciditatis jam pervenerit, ut ſine remedijs fortiſſimis dimoveri nequeat; aut etiam, utrùm efficaciſſimis minimè cedere ſoleat: Sideratio quidem lentori priori gradu; uti nephritis nonnunquam, ſæpe etiam morbus articularius, quando inveteraſcit, poſteriori debetur. Sic, ubi congelatio repentina frigore acutiſſimo procedit, inde oritur affectus inſtar ſiderationis; quæ pro gradu congelationis plus vel minus levaminis accipiat.

Notandum verò, quòd in morbis, qui ſenectutem maximè ſpectant, enumerandis, Celſus * *nervorum reſolutiones* vertat hanc Græcorum † vocem, quam nos, ſecuti interpretes Hippocratis Latinos, ſiderationem nuncupamus. At verò, alibi ** ex profeſſo pluribus hunc morbum deſcribit; *Attonitos rarò videmus, quorum & corpus &*

---

* L. 2. c. 1.

** L. 3. c. 26.

† Ἀποπληξίαι.

mens

mens ſtupet. Fit interdum ictu fulminis, interdum morbo: Hunc ἀποπληξίαν *Græci appellant.* Dein, paulò pôſt ſubjungit; *At reſolutio nervorum frequens ubique morbus eſt. Sed interdum tota corpora, interdum partes infeſtat. Veteres auctores illud* ἀποπληξίαν, *hoc* παράλυσιν *nominaverunt: Nunc utrumque* παράλυσιν *appellari video.*

Nimirum, Græci, eò quòd ſtupor improviſò, quaſi à tonitru daretur ſideratis, metaphorâ ductâ ab ictu fulminis (quod vulgò dicitur) ἀποπληξίαν nominârunt: Interpretes autem eorum Latini ſiderationem dixerunt; quòd, tanquam à neſcio quo ſidere, decumbentes perculſi eſſent.

Atqui, ijs ſanè vocibus cum vulgo utendum; quanquam neque fulmen in rerum naturâ ſit; nec quiſquam tactu ſideris hoc mali unquam paſſus fuerit.

De quo ſcilicet morbo vetuſtiſſimus ille medicus * effatum hoc protulit; *ſiderationem fortem quidem ſolvere impoſſibile eſt; debi-*

* Ἀφορ. T. 11, 42.

lem

lem verò, non facile. Nempe, fortis ſideratio, omnia collapſa eſſe, pro indicio haberi debet; de quâ, igitur, quandocunque eandem adeſſe conſtet, meritò conclamatum eſt: Ideóque, de debili duntaxat, verba facienda ſunt; quatenus ille affectus ad hanc ætatem pertinet.

Cujus quidem naturam ſiquis attentiùs perpendat, forſan à vero non aberrabit, dum inter morbos, qui ex viſcoſo quodam fomite naſcuntur, numeret. Unde non rarò deſinit in morbum articularium: Videlicet, eodem fomite poſtea in artus tranſlato, tollitur ſideratio.

Quod attinet autem ad reliquos affectus, quos hæc claſſis complectitur; ijdem ſenectutis extremæ indivulſi (ubicunque accidunt) comites videntur: Adeò ut, quæ, exactâ ætate, imbecillitati ſuccurrunt, hæc non nihil quidem proficiant ad eoſdem placidè ferendos, minimè verò tollendos; niſi in vigorem iterum reverti ſenibus fas eſſet.

Cap. VIII.

De morbo articulario.

QUONIAM plures morbi, qui hanc ætatem afflictant, Arthritide ſuperveniente ſublevantur, proximum eſt, ut de eâdem verba faciamus. Etenim via tentanda eſt, quâ natura tanquam remedio graviorum utitur, quò hic affectus commodo ægris vertatur. Quâ quidem ratione, qui articulorum doloribus vexantur, hoc ſolatij exinde accepturi ſunt, ut, hiſce interdum recurrentibus contenti, reliquorum immunes perſiſtant.

Facultas locomotrix, quâ ad ſanitatem tuendam opus eſt, læditur ſaltem, ſi non omnino tollatur, quum materia exundans,

dans, poſtquam corpori alendo ſat ſupérque inſumatur, derivetur in articulamenta.

Nimirum, ea videtur ſimpliciſſima cogitandi ratio, quâ hujus morbi cauſa menti objicitur; quippe quæ nil vitiati humoris in ſe complectatur; nec imbecillitatem corporis pro fundamento jaciat. Igitur, quicquid ſuperfluum manet poſt abſolutum nutriendi opus, id omne prægravat viſcera : Quod quidem, licèt æger haud ſtatim ſentiat, attamen nociturum demum experietur; quum loca, in quibus ſupervacua recondi ſolent, impleta fuerint.

Proinde, hæc loca ſunt quaſi mineræ, unde plura depromuntur mala; ſine quibus hujuſce morbi natalitia vix dignoſcere eſt. Siquidem pro locorum diverſitate fomes alius atque alius notatur; ſcilicet, alius circa ventriculum atque inteſtina; alius circa caput deliteſcit. At, ſi vitio primùm caruit alimentorum ſalubrium copia; quæ quidem providâ naturæ curâ recondi cœperunt; eadem tamen incorrupta

ta ſervari nequeunt; niſi perpetuò, ubicunque opus eſt, diſtribuantur; atque hiſce vel illis partibus alendis impendantur.

Cui quidem uſui inſervit aſſiduus labor, vel exercitatio eidem accommodata. Exinde, autem, facilè addiſcimus, quàm proclivis ad hunc morbum etiam ſanitas exiſtimari debet; quoniam poſt adoleſcentiam congeries eorum, quæ bene, perinde atque malè, nutriunt, ſubminiſtret eidem cauſam.

Veruntamen, indoles morbi non eadem videtur; quandocunque ab alimentis integris, iiſque boni ſucci, ſed nimiâ curâ coacervatis pendeat; ac illa, quæ mali ſucci cibis debetur. Imò, nec morbus in tantum ſævit, nec per complicatam ſymptomatum ſeriem diras edit ſtrages, quales in ægrotis ubivis cernere eſt; qui viſcerum tormina graviter conqueruntur, antequam ad articulos perveniat materia morbifica; dum inteſtina urit acerrima ea, mille peſſimi ſucci ciborum, farrago.

Itaque, interdum dolores colici antecedunt; et, dein, articulorum dolores lancinant: Qui quidem mane ſomnos abrumpentes, tyrannidem exercent; cujus ſævitiâ vexati, miſeratione atque auxilijs digniſſimi ſunt.

Hæc quidem de acribus ſuccis dicenda; ſed multò ſævius reſtat adhuc reliquorum ingenium; de quo nil felix fauſtúmque medici pollicentur; aſt, quicquid natura novit durius, huic imputare affectui ſolent. Scilicet, in hâc congerie ſæpe ſaxea concreta inveniuntur; quæ ex anguſtis artuum ſedibus expellere vix ſperant: Ad quos quidem ſaburra calculoſa labitur, forſan admiſta unctuoſo iſti liquori, qui oſſium commiſſuris lubricandis inſervit; quíque in eoſdem motos jugiter influit.

Igitur, dum calculos huic immixtos præterlabi fas eſt, ibíque atteri vel comminui; ſatis demum attenuati excerni poſſunt: Aſt, ubi tranſitus hiſce omnino denegatur, tumores duri enaſcuntur, qui nunquam penitus ſubſidunt; verùm exinde

inde nodi generantur; atque interdum via aperitur per perioſteum; interdum etiam chirurgorum ope ipſos extrahere neceſſe eſt. Quî quidem fit, ut per plures annos cruciatibus inſumtos, ægri, infeliciter vitam tolerantes, tandem letho dentur, tanquam ſoli malorum, quæ diutius non fert natura, levamini.

Profectò, ea morbi ſævitia, non rarò menti objecta, ſtimulos ſubdidit acriores; ne, ſi quid adjutorij uſpiam recondiderit natura, idipſum me exquirentem impoſterum lateret: Inquirenti, verò, eadem difficultas obſiſtebat, ac illi, qui lapides prælargos in renibus aut veſicâ ſolvere conatur. Ergo, id duntaxat reſtitit, ut morbo venienti occurreretur; ſed hujus jam confirmati, non citiùs quàm illius, ſolutio promitteretur.

Dein, quod attinet ad variam morbi articularis faciem, quum primùm invadat, næ eâ ſagacitate, quâ experientia ſatis larga ſolet dotare, opus eſt, ut eadem dignoſcatur. Multiplex enim ei larva tam altè tegit, ut, niſi ipſâ prorſus

ſus detractâ, oculis non ſubjiciatur. Oculorum rubor et inflammatio; torpor; dolores colici; ſanguinis per nares fluxus, et per hæmorrhoïdas; ac paroxyſmi febris intermittentis ſæpe prænuncij: Nonnunquam faciem hypochondriacam præ ſe fert; imò et non rarò ſub hydropis ſpecie latitat. Interdum autem & caput ferit ad inſtar ſiderationis. Quoties verò in ſanguine lento inſidet, qualis eſt Rheumaticorum, non ſolet apparere, niſi poſt iſtius vitii remotionem. Ac demum, ſi non erratum ſit circa natales morbi, in ſalutem certò per proprias vias deſinit.

Nil miri igitur, ſi ſub ſanitatis accuratioris ſpecie in hominibus maturis ſubinde lateat: Adeò ut, qui exercitijs gravioribus, aut longis itineribus, ſanum ſibi corporis habitum conciliârunt, hos tandem quiete repoſitos, & molliuſculè ſemet curantes, inviſat morbus articularis. Attamen, non niſi acrior medela jam tum ab ijſdem haberi debet: Utpote quæ, fæculentias omnes contractas per ſeriem negotiorum, pérque varias ſolis aëríſque injurias

jurias, uti & alimentorum, quibus non assueti fuerint, noxias facultates, secum abripit, digerítque; in articulos dein rejicit, ac tandem per consuetas vias eliminat.

CAP. IX.

De distributione morbi articularij secundum sedes notatu digniores.

VAGUS quidem initio sæpe apparet hic morbus; ac, nulli devinctus sedi, per artus errare diu consuevit. Dein verò, quando articulum quemvis in manibus vel pedibus tentârit, dolet pars læsa, non sine tumore mox orituro, ac postea levamine. Quando autem articulus in pede doleat, Podagra morbus dicitur; siquando dolor genibus infigatur, Gonagra; &, si coxis, Ischias nuncupatur. Quòd si ad manus deturbetur fomes arthriticus, Chiragræ appellatione denotatur.

Siquidem

Siquidem manus vel pedes tanquam emunctoria videntur; illæ frequenter, onera capitis & locorum ſuperiorum, in ſe recipiunt; hi, omnia in univerſum, at præſertim quæcunque circa inferiora reponuntur viſcera: Unde quidem levamen in ijs partibus, poſt hujus morbi exacerbationem, ſentiri ſolet.

Quod autem ad Iſchiada pertinet, indicat ſæpe craſſiorem & acriorem eſſe ſuccum; quippe qui ægrè attenuetur: Idipſum etiam aliquatenus de Gonagrâ obſervare licet. Itaque hæ morbi ſedes, naturæ debiles eſſe nixus, dum detrudit ad inferiora, quicquid vitij ibidem continetur, oſtendunt; niſi idipſum motui ineptum ſit. Unde Iſchias morbus diuturnus intelligitur.

Huc, ergo, intentio dirigitur, ut circulus abſolvatur; quem pingue illud, quîcum miſcetur hoc lentoris, conficere debet: Idque intra eoſdem (quibus in ſanis ſolet) temporis terminos, vel ſaltem hiſce;

quantum fieri licet, proximos. Veríque ſimile eſt, unctuoſi hujus corporis leges apud ſanos ſtatui; ſine quibus idipſum muneribus ſuis aptè reſpondere vix poteſt. Quapropter, quum ad ſenectutis extremæ fines devenerit articulis captus, non tam facilè tunc temporis, nec tam citò ſolvi ſolet morbus; utpote cui artus humore pingui eatenus non abundent, vel ipſe tandem humor lentior evadat.

Interim, exercitatio ſenio ferè confectum eòuſque non calefacit; neque ideo ſperandum eſt, tam brevi quàm antè, ſuſcitare. Quî quidem fit, ut periodi hujus morbi, quæ principio intra paucos dies abſolvuntur, paulatim hebdomadas plures, menſeſque demum ipſos complectantur.

Quinetiam, ultimùm obſervamus id operis imperfectum relinqui; ac, dein, congeriem iſtam augeſcere; omnémque morbi acceſſionem, poſt exacerbationem minùs ſævam, novum perpetuò fomitem accumulare; dum, interea, aliquid de viribus priſtinis quotidie decedit. Unde attriti

ægri,

ægri, quaſi deſperantes, certiora exercitationis commoda negligunt; ac ſe quieti dedentes atque otio, diem ſupremum expectant.

Propterea, verò, ſedes maximè conſiderationem merentur; quoniam, quò propiùs, vel longiùs abſint à viſceribus, eò ſævius vel mitius ingenium eſt affectûs. Proinde autem, operæ pretium eſt advertere ad tranſlationem hujus fomitis; quoniam exinde dignoſcere eſt, quantum methodo medendi tribui debet: Utrùm prorſus eidem inſiſtere, vel aliquid in eâdem immutare ſatius ſit. Siquidem dolore ad remotiora à viſceribus loca migrante, meliùs habent res ægrorum: At, ſi è contrà fiat, exempli gratiâ, à pedibus in genua transferatur morbus; qui in deterius ruere ſentiat, rarò aberrabit.

Porrò, ex ſede morbi diſtinguere licet durationem ejuſdem; quum hæc ipſa craſſitiem vel tenuitatem materiæ morbificæ aliquatenus indicet: Ideóque diuturniori vel breviori temporis ſpatio ſolvetur affectus.

Exinde,

Exinde etiam patebit, vel generoſiora aut fortiora remedia adhibenda eſſe; vel lenibus ac minùs vehementibus rem gerendam.

Quocirca, quum ad pedes manúſve delapſus fuerit iſte fomes; id curetur, ne ſtatim repellatur, ſed ut paulatim attenuetur, minuatur, ac dein penitus excernatur. Tum, demum, ſedes ipſas diluere præſtabit, ac repurgare, donec ad priſtinum uſum mobilitatémque ventum fuerit.

Quinetiam, ex varijs morbi itineribus, varióque ſingulas partes afficiendi modo, conſtabit, quid cuique naturæ infirmitatis adſit, & quid vigoris reſtet: Etenim hanc ſuſcitandi cauſa erit, quò faciliùs morbus dometur; illam verò leniter tractandi, omníque arte erigendi; ne recrudeſcat morbus, ac ſubinde affligat. Nam metus eſt, ne receptacula ipſa, tono infracto, hoſpitium commodum fomiti vitiato ſubminiſtrent; atque ne oneri cedentia, munijs ſuis obeundis, quibus medico opus eſt ad profligandum pervicacem hunc affectum,

imparia

imparia evadant. Siquidem hæc eadem munia ſunt, à quibus tota affectionis hujuſce curatio pendet; quæ quidem, naturâ favente, debito modo peracta, valetudinem non incommodam ſenioribus reſtituant.

Proinde, quando id, quod peccat, plus vitij in ſe habeat; eò uberiori virium copiâ egent partes; quibus quidem, primùm colluctari, dein verò in melius provehere, officium conſtituitur.

Ex antecedentibus autem meritò colliget, qui ſymptomatis cujuſpiam, ægro aſſidentes terrentis, ſolutionem meditatur; quâ ratione voti compos fiat: Exempli cauſâ, Attonitus quivis eſto, qui morbo articulari olim laboravit.

Tum verò; unà cum ijs, quæ in uſum ſideratorum excogitantur ad excitandam ſentiendi vim; quamprimum conſtat, hunc affectum ex fomite arthritico naſci, protinus ſe accinget vir ſagax & futuri exitûs prudens, ad omnia ea ſubſidia, quæ ad artus derivant, ſubminiſtranda

ſtranda: Unde, ſi morbus non ſit fortis, ſed qualis ſuperari queat, hoc commodi, mantiſſæ loco, promitterè eſt; quòd ſanitatem hoc modo redintegrari inuſitatum non ſit, quandocunque huic methodo inſiſtentes ſucceſſu non careant: Quod certè fit, quum vitioſum illud, quicquid ſit, in articulos tranſducatur.

Hinc, itidem, evenire ſolet, ut ſuperveniente exacerbatione morbi articularij, nec ſenſus, nec memoria poſt ſolutionem deficiant: Nec reſolutio nervorum, * *inſanabilis ferè morbus*, hiſce ſideratis accidere conſuevit.

Interea, non inficiandum, quòd pedum articuli, non modò partium inferiorum, verùm etiam capitis, omniúmque viſcerum ſuperiorum, onera frequenter excipiant: Quod quidem ita habere videtur, partim, quoniam partes ipſæ dependent; ac partim, quoniam hæ, magis ad exercitationem accommodæ, plus

---

* Celſ. L. 3. c. 27.

unctuoſi

unctuoſi illius liquoris expendunt, eóque magis eundem deſiderant: Ideóque plenior quaſi rivus in pedes plurimorum, quàm ipſas manus influit.

Forſitan, itidem, ſeniores magis deſides evadunt, quàm juniores; neque pedibus eatenus utuntur: Quippe qui citò laſſati, rariùs itinera pedeſtria animi cauſâ, nec niſi neceſſitate adacti, ſuſcipiant. Unde tunc temporis accidit, ut ijdem articuli, qui junioribus perpetuis in motibus verſantur, annis poſterioribus, quiete potiùs gaudentibus, non, quantum ſanitati tuendæ expedit, exercitentur, atque ita infirmiores eò magis relaxentur; ac, dein, conceptacula humorum ſegnium idonea fiant, et latrinæ uſibus in corpore deſtinentur.

Igitur, ex his omnibus Podagra frequentiſſimus eſt morbus; poſt hunc Chiragra, Gonagra, atque Iſchias: Dein, rarior eſt articulorum cubitûs atque humeri; rariſſimè etiam cæterorum articulorum affectiones occurrunt.

Verun-

Veruntamen, quò plures articuli laborent, eò meliùs poſt exacerbationem habere ſolet æger; modò nodos atque ejuſmodi duras moleculas morbus poſt ſe non reliquerit. In hoc enim caſu, tota materiæ arthriticæ congeries, quæ diſtribuitur in articulos accommodos, partim in hanc, partim in illam ſedem derivata corrigi poteſt, atque excerni: Tum, verò, æger demum reſtitutus, diutius bene valet.

CAP. X.

De distinctione morbi articularij in sanguineum & calculosum.

QUANQUAM morbi fomes in diversis articulis resideat, unde nomina locis, ubi dolorem sentiunt ægri, accommoda sortitus est iste affectus; medici tamen consilium non ad sedem solam dirigitur; verùm à naturâ ipsius fomitis dignoscendâ potissimùm pendet. Interim, non dissimulandum est, quòd ex ætate etiam morbi sententias ferant judices experientiâ maximè nobilitati, quid quidem faciendum, quid verò omittendum, quod ad curationem, æquè ac præcautionem pertineat.

Verun-

Veruntamen, id non in universum accidere, monent, sed in aliquot ægrotis, quorum casus non tam accuratè delineantur, ut de ijsdem, quodnam per omnia statuendum sit, cognoscamus. Quapropter, eorum partitioni non insistimus, tanquam primariò & per se spectandæ; licèt fateamur, ætatem hujus affectionis semper dignam, quæ in mentem medentis, unà cum reliquis ad morbi naturam evolvendam pertinentibus, ingrediatur.

Cæterùm, maximi res est momenti, ut, à quali causâ hic morbus præcipuè pendet, innotescat: Exinde enim accuratus tractandi modus patebit: Siquidem, quæ affectum istum sanguineum juvant, eadem, quandocunque fomes morbi lapidea in se complectatur, tanquam non innocua repudiat experientia. Proinde, huc referendum, quicquid medici diversum protulerunt. Quamobrem, qui sanguinem detrahi suadent, qualem sententiam tuetur * Celsus saltem in primo

* L. 4. c. 24.

insultu,

inſultu, non improbandi; modò affectus ipſe ſit ſanguineus. At, verò, ſi eò res recidit, ut de calculoſo genere ſuſpicio oboriatur, prudentes ab aſſenſu ſe ſuſtinebunt.

Idem quoque ſtatuendum de Purgatione ac Vomitione; de quibus ambigere in eo genere fas ſit. Quinetiam de lactis uſu dubitare liceat, ſi ſaxeas moleculas eliminare opus ſit: Scilicet, ne fixæ hæreant, augeantúrque indies; dum immenſa malorum ſeges, omiſſioni remediorum huic uſui accommodatorum, ultimùm debeatur.

Quòuſque autem hæ duæ ſpecies diſcretæ maneant; &, an ſanguinea inveteraſcens demum in calculoſam tranſeat, quæſtio ſolvenda eſt per ſolam experientiam. Novi ſanè plures, qui ad ſenium uſque, ſtatis anni temporibus, inſultus ſanguinei generis ſenſerint; nunquam tamen ex nodis, vel tumoribus duris poſt exacerbationem, ſive calculis excretis, alióve quovis modo, dignoſcere potui, quòd lapidea omnino intra corpus delitu-

erint. Attamen, veriſimile arbitror, ſæpenumero ambas haſce ſpecies eſſe intertextas: Quoniam haud abſonum videtur, quòd lapidea ſemina frequenter adjiciantur maſſæ ſcorbuticæ, contentíſque alijs ex circulo ſanguineo rejectis.

Porrò, ut faciliùs dijudicetur morbi genus, utrùm ſanguineum illud ſit, atque ejuſmodi auxilia poſtulet, quæ peculiaria huic generi videntur; an maximè ad calculoſum referri debeat; notæ quædam ſervandæ ſunt, unde dignoſcere poſſimus, ad quam claſſem morbus redigendus eſt.

Igitur, advertere oportet ad febrim, ſiqua ſit, comitantem; vel, ſi nulla omnino invaſerit, id perpendere æquum erit, an eodem ritu antea paroxyſmus arthriticus occupavit; & quî demum iſte deſeruerit, non ſine calculis rejectis, ſignísve aliquibus, quæ concreta ſubeſſe dura indicarent.

Quod ad primum attinet, nimirum ubi febris accenditur; morbum ideo inter

inter ſanguineos numerari veriſimile eſt: Id quod magis patebit, ex febri per periodos recurrente, ac poſt ſingulas acceſſiones intermiſſionem oſtendente. Quæ quidem febris oriri videtur ex aëris inclementiâ, ſubitâque ejuſdem mutatione; qualis frequenter accidit, quando ventus Euro-Borealis acutiores flatus edat. Etenim, tunc temporis hic morbus ſpeciem catarrhalem, cum tuſſi moleſtâ, aliiſque ſymptomatis frigoris (quod vocant) ſuſcepti, induere ſolet. Sæpe etiam typum Rheumatiſmi perſequitur, quum primùm invadat; dein, ſub aliâ atque aliâ larvâ deliteſcit: Nec tamen ſolvi poteſt, niſi ad imum adjecti fuerint dolores articulorum, atque eorundem tumores. Fruſtrà autem annitetur medicus, qui talibus ægris ſuccurrere ſtudeat; niſi ad febrim, aut etiam Rheumatiſmum tollendum priùs ſe accingat; quàm de arthritide medendâ cogitet. Ergo, ſanguis mox mittendus eſt; ac medicamina mollia & lenia adhibenda, quibus Rheumaticos dolores ſopire licet.

Quòd ſi nunquam antehac invaſerit morbus articularis; nec lucem mutuari ex præteritis poſſimus; neque ex ambientis aëris ſtatu, annive tempeſtatis, aliquid diſcere; verùm id tantummodo liqueat, paroxyſmum arthriticum invadere ætate vergente conſtitutum; hunc ſanè tanquam ſcorbuticâ, ſi non planè calculosâ, arthritide correptum tractare, expertus vix dubitabit.

Neque enim de ſanguine minuendo cogitaret, qui eundem minimè affici, niſi onere extraneo, credit: Nec, poſtquam in artus detruſum id oneris fuerit, revocare in viſcera ſummopere nitetur, quiſquis talium ſe ignarum profitetur medicamentorum, qualia tutò expurgare indigeſtam hanc molem valeant.

Proinde, reliquum eſt, ut maſſa hæc vitioſa, quæ coëundo nocuit, modo naturæ convenienti digeratur; ideóque ut in ſubſidium conſcribantur eorum copiæ, quibus nil incommodi exprobratum fuit. Quæ quidem ad illud genus referri videntur,

dentur, quod appetitum excitat, viſcera roborat, nervoſo ſyſtemati gratum eſt, ac demum nullatenus debilitat: Quod dolorem lenit, viſcoſa ac lenta diſcutit; interim non calfacit, nec exiccat: Quod ſimplex eſt, ac tenuibus conſtat partibus; nec ſale, aut acriori aliquo corpore imprægnatur.

Vitanda itidem omnia, quæ prohibent, ne natura inutile hoc arthriticum pondus dividat, diſtribuátque membratim; ac ne viſcoſa coëuntia diſſociet, aut ſatis comminuat. Secùs, forſan maſſa hæc vitioſa hærere exiguis canaliculis queat: Quippe cui grandiuſculæ, tranſitus denegatur. At ſi ibidem defixa diutius commoretur, metuendum ſanè, ne occalleſcat ſaltem, ſi non in lapides cretaceos ſiliceóſve concreverit.

Cap. XI.

De morbi articularij reditu præcavendo.

QUandocunque conſtitit, arthritidis inſultum quemvis paſſum fuiſſe, de eodem tanquam redituro cogitandum eſt: Siquidem rarò morbi fomes unicâ acceſſione conſumitur. Itaque, reliquias exterminare paulatim, convenit; ac, interim, cavere, ne nova indies ſubminiſtretur materiæ copia. Id, verò, facilè fieri ſolet; ſi viſceribus epulis minimè oneratis, lenia ſola committantur; ac dein auxilia adhibeantur, quæ muneribus ſuis explendis eadem apta reddunt.

In quibus quidem ſeligendis opus erit ægrorum naturæ auſcultare, ejúſque requiſitis ſuppetias ferre; eâ planè ratione

ne; ut ne, dum morbo huic consulitur, ipsi in gravius discrimen inferantur. Quamobrem, quum diversa adeò sit hominum natura, speciatim hæc nominari nequeunt, quæ maximè singulis utilia futura sint; verùm ex quoque peculiaria priùs * recensita, cum alijs eorundem similibus, exquirere oportebit, antequam de auxiliorum genere & gradu commodè statuatur.

Interea, nunquam intentioni satisfactum esse judicat medicus, quamdiu fæculenta quævis crassa aut viscida intus latent; ideóque, priusquam securum eum, qui hoc morbo decubuit, pronunciet, prudentis est, ejusdem morem naturámque exponere: Nequis speret, se genio indulgentem, non fore opportunum imposterum insultibus hujusce affectûs.

Etenim, quum ætas infirma jam premat, cautelâ semper opus est, & quotidianâ curâ; ne congeratur iterum materia

---

* Cap. 3.

arthritica; atque etiam, modò illud accidat, ne via in artus præcludatur. Quapropter, pernicioſum haberi debet conſilium, reditum morbi hujus inhibere, niſi causâ priùs è medio ſublatâ. Secùs, enim, nobiliores infeſtantur partes; unde letho dantur plures, quando nulla aperiatur porta, per quam, vitæ motuíque hoſtis infenſiſſimus, etiamſi ad domandum vires ſuppetant, tandem abigi poſſit.

Exinde, autem, patet, vix proponendam ejuſmodi curationem, neque ægrotis ſperandam: Interim, verò, tutiores eſſe, omnibus rite perpenſis, quorum ſaluti natura, hâc ſuâ methodo, provida conſuluit.

Hiſce quidem præmiſſis, quæcunque lentam iſtam eluviem ex articulis ſubmoveant, in uſum ducere ratio ipſius rei, confirmante experientiâ, ſuadet; ídque præcipuè, ſi calculorum ſuſpicio oboriatur: Quippe quorum ſemina expellere ex locis, ubi hoſpitantur, quamprimum fieri poteſt, minimè abſonum ſit.

Quoniam

Quoniam autem idipſum ſæpe periculo non vacat; tentandum, quid per diluentia commodi obventurum ſit. Dein, acria fugienda prorſus; aut qualia ſaltem, licèt palato adblandiantur, atque hilaritatem ſenſu quidem judice afferant, acrimoniam tamen poſt ſe relinquant.

Quinetiam, eos oportebit, quotquot hoc morbo laborârunt, perpetuùm ad ea ipſa attendere, unde dolor oriatur; quid corpus, quídve animum gravet; quid primùm recreet, at non ita multò pòſt dejiciat ac frangat: Quoniam hæc omnino devitare expedit.

Veruntamen, morbi articularis inſultu prægreſſo, ægri refert ſubſidia accerſere; quorum operâ maturè vires recipiat: Et, ſi id fiat, vix quenquam invenies, qui non, ab acceſſu hujus morbi feliciter ſoluti, mèliùs quàm multò antè habuit; modò nihil niſi pituitoſa aut ſcorbutica materies in artus defluxerit.

Interea, autem, frequenter occurrunt ægrorum querimoniæ, qui ſe ſanari vellent ope

ope medicamentorum fortiùs exonerantium, cæterorúmque ejuſmodi, quæ junioribus corpus levare conſueverunt: Qualia ſanè, ſi ventriculi tonum atque viſcerum functiones minimè lædant, plus tamen noxæ ſenioribus inferunt, quàm commodi adhibent. Profectò, rigidiores ac ſicciores fibræ non eodem à Catharticis ritu afficiuntur, quo flexiles ac molliores, quales in juvenibus apparent. Adde quòd ſeniorum alimenta non tam facilè in chylum abeant; nec ſpirituoſa eoſdem, quantum juniores, reficiant. Sicca & dura alvus illis quidem ſalutaris eſt; hiſce verò, non ſine mali cujuſdam latitantis ſuſpicione, accidit. Ut verbo dicam, non peccatur impune quoad vacuationem, infracto jam ac declinante in deterius corporis habitu.

Propterea, quæcunque exonerantia huic ætati aptantur, ea ſimul inter mollientia & ventriculum viſceráque corroborantia enumerantur. Unde medenti opus eſt idem præſtare, ac quando morbis complicatis conſulit: Quoniam ſenectus, tanquam morbi genus, conſideranda eſt; adeóque perpetuò in medicamentis ſeligendis ejuſdem rationem

rationem habiturus eſt medicus; quid quidem ſine incommodo ferat; &, ex quibus noxam olim vel nuper ſenſerit; veluti, itidem, unde fructum perceperit.

Igitur, ſiquis morbi hujus reditûs diu immunis perſtare velit; non eò annitendum duntaxat, ut vires reficiantur uſu cardiacorum (quæ vocant) aut ſpirituoſorum, quæ calefaciendo & attenuando proſint; verùm facultatibus, quæ cibum coquunt, auxilia ſubminiſtrare oportebit; ídque imprimis curare, ne quid obſtet, quò minùs alimenta exactè digerantur ac diſtribuantur.

Pari, etiam, jure ſudores elicientiâ, quæ vires dejiciant, repudiare æquum eſt; licèt ab ijſdem, tanquam attenuantibus, aliquid commodi expectandum foret. Siquidem experientia noſtratium inſalubria eſſe huic ætati dictitat; &, neminem magis errare, obſervanti patebit; quàm qui calidioribus iſtis operam dederit.

Quandocunque autem conſtat, reſiduum, poſt acceſſionem hujus morbi, fomitem penitus diſſipari & eliminari; adeò ut facultas

facultas locomotrix vigere cœperit, quo ritu ante insultum solita fuit; & postquam etiam dolor artus urgere desierit; tunc temporis singulos exercitare convenit quotidie, donec spiritus munia sua vegeti obeant.

Hæ, verò, exercitationes, non modò ad corporis motus, ipsorúmque articulorum flexus, qui paulò antè doluerant, extendi debent; sed & altiùs ad animum ascendere: Cujusmodi sanè monitum apud * Celsum sic effertur; *Delectationis causâ, quantum juvat, ambulare, circumcisâ omni negotiosâ actione.*

Cæterùm, loca, ubi exercitationes, post insultum morbi articularis, maximè juvant, dispicere non abs re erit: Siquidem editiora atque arida præcipuam laudem merentur; quandocunque artus confirmare opus sit. Adde quòd, quum contra solum acclive inambulare nitantur infirmi, siquid vitij lateat, id omne mox deprehendetur.

Aliud autem exercitationis genus est, repetitis ascensûs & descensûs vicibus ambi-

---

* L. IV. C. 25. entis

entis aëris vires experiri; aliud, in planitie deambulare, eâdem circumjacente vaporum aëríſque temperie. Et quidem altiùs aſcendens edita, quæ ſalubria ſunt, loca, non modò artubus ſuis, ſed & viſceribus ipſis firmitatem conciliat. Quocirca, non inutile videtur conſilium, quod hoc morbo debilitatos relegat ad montes, aut etiam ſcopulos præruptos, at non impervios: Siquidem partes reſpirationi inſervientes, quæ cum primis ardua adverſa tentando laborant, quotidianâ repetitione maſſam vitioſam ibi hærentem excernere, ac novum poſtea vigorem, novámque inde agilitatem aſciſcere ſolent.

Commodiſſimè, igitur, ad hunc uſum adaptatur varium nec inamœnum loci ingenium; ubi aqua egelida prope urbem Briſtolliam de rupe ſcaturit: Quoniam ille rupium tractus ſatis arduus, iter ad ſummitatem facientibus opponitur. Dein, planities ſicca extenditur, campúſque æqualis aperitur ſecundum ſcopulorum cacumina; unde oculis regiones adjacentes luſtrare minimè ingratum eſt: Hinc quidem à naturâ congeſta ſaxorum ſtrata, fluviúmque navibus

navibus onerarijs divitem ipſa perfluentem; illinc verò, hominum opera, quibus hæc acclivia exornantur, atque ex rudibus & ſylveſtribus in hortos excoluntur, aut in ædificia, tanquam ex rupe pendentia, elaborantur.

Hæc autem montana atque ſylveſtria menti obverſata, in alium ducunt conſilium: Quoniam hujuſmodi loca, qualiacunque ab urbibus hominúmque frequentiâ ſejunguntur, maximè idonea videntur partibus vocalibus exercitandis; à quarum viribus ſpirituum vigor valde pendet.

En, igitur, ſcenam exercendæ voci accommodam! De quo genere exercitationis libet huc transferre, quæ Paulus * ille Græcus viator ex Oribaſio in ſuo compendio tradidit. Verba Latina ſunt Guinterij interpretis; *Inter vocis exercitationes, ſuavis leniſque modulatio nihil ad ſanitatem tuendam proficit: Gravioris autem vocis ſonus utilis habetur, eóque exercere eum oportet. Ita*

---

* L. 1. c. 19.

enim

enim aër copioſiſſimus inſpiratu in corpus attractus, thoracem, ventrem & meatus totius corporis diducit, dilatat, aperítque. Quapropter, ipſâ lectione humiditates, quæ redundant, excernit. Fortiùs igitur legentibus, magis & per ſudores; leniùs autem, per latentem totius corporis perſpiratum. Accidit enim, propter extenuationem, multa recrementa, nempe ſputa, mucos & pituitam, per ſcreatum excerni, conſumíque. Iis verò, qui propter frigiditatem excalfieri deſiderant, quodnam aliud præſentius remedium eſſe potuerit, quàm functio, quæ reſpiratione peragitur? Conſilium igitur eſt, hos frequenter legere, ut toto corpore relaxato, fuſâque carne, arteriam & alios ſpiritús tranſitus ſtudiosè rarefacientes, per graviores vocis actiones modulentur. Uti autem oportet vocis officio neque temere neque inconſideratè: ſed quum nec vitioſis corruptíſque humoribus repleti ſunt, neque magnæ & evidentes ſtomachi cruditates apparent, ad vocis exercitationem accedendum eſt, ne corrupti vapores per corpus largiùs diſtribuantur.

CAP. XII.

De ijs, quæ utiliter ſervantur ad ſenectutem extremam vergentibus.

CONSILIA medica, in hoc ultimo vitæ ſtadio, illuc diriguntur; ut ſenes ægritudinis, doloríſque, quantum fieri poteſt, immunes, quicquid ſpatij reſtat, tranſigant. Morbi ferè jam inſanabiles fiunt; nec quidem violentis affectibus opportunum eſt, quodcunque hoc ævi ſupereſt. Attamen, quædam monita fuiſſe videntur; quæ, ut minùs malus ſit extremæ ætatis exitus, aliquatenus utilia inventa fuerint.

Principio,

Principio, quod de ætate vergente generatim dictum fuit, illud in hâc extremâ ævi parte fortiùs urgendum; ſcilicet, nullum adhuc locum eſſe experimentis, utrùm hæc, an illa vivendi ratio conveniat: Nec quidem multum intereſt, an alijs benè, alijs malè, hæc ipſa, quâ diu uſi fuerunt annis propemodum ſaturi, ceſſerit; modò hucuſque eoſdem juverit. Novi egomet hâc ætate laborantem, cui quidem cereviſia fortis, vetuſta & auſtera, cum carne ſalſiſſimâ, in delicijs fuerat; quibus tanquam nimiâ copiâ aſſumtis, medicus aliquid detrahere volebat. Aſſenſit ſenex; at mox concidit, & penè languore abſumtus videbatur. Veruntamen, temporì advertit, quem conſulebat, vir prudens, artíſque ſuæ peritus; ac, dein, ad priſtinam diætam modúmque reverti jubet; unde ſanè priſtina ſanitas, qualiſcunque fuerat, inſtaurata eſt: Qui ex illo tempore aliquot annos vivus perſtitit.

Quapropter, nulla immutatio ſubita ſenibus admittenda eſt; etiamſi nonnihil commodi ex eâdem, ídque non ſine cauſâ,

illis proponere liceret. Non enim ad juniorum ſtateram, exigendæ ſunt hæ ætatis reliquiæ: Verùm, conſuetudo jamjam inveteravit; quæ vix patitur ſui juris eſſe aliquem, qui, per prolixam annorum ſeriem, ad certam vivendi normam obſtrictus fuerit.

Alterum verò eſt, quod itidem priùs notatu dignum viſum fuit, ut ille, qui ad ſenectutis fines pervenerit, moneatur, cuncta demum vitanda eſſe, quæ noxam ei inferre ſolita fuerunt. Siquidem infirma illa ætas graviſſimè ab illis læditur; unde olim vel minimum incommodi ſenſerit: Adeò ut, quicquid leviter ipſi quondam vigenti nocuerit, nunc toleratu difficillimum deprehenſurus ſit.

Proinde, rarò natu grandium peccata periculo vacant: Ideóque nulla extrema tentanda ſunt; aſt, potiùs, in motu & quiete, frigore & calore, cibo potúque, omnia mediocria requiſita ſunt. Similiter, in animi affectibus res habet; quorum violentioribus moderandis frænum injicere vellet, qui vitæ reliquijs frui optaret.

De gaudio ſolo ambigitur ; an in ſenectutis triſtitiâ id nimij exhiberi queat? Verùm, quamvis tradantur aliquot exempla ſenum, quos ſubitanea lætitia è vivis ſuſtulerit ; non ij tamen ſunt ſeniles mores ; neque grandævis humanarum rerum facies tantum arridet, ut ipſi præ nimiâ lætitiâ mori vereantur.

Itaque, utile futurum eſt ad ea omnia attendere, quæ animo alacritatem addant, aut ſaltem mœſtitiam levent : Dein, verò, præcipuè ad hæc animum appellere, quæcunque dolores minimè creent ; at potiùs, ſi qui urgent, mitigent. Qualia ſunt lenia illa cibi potûſque genera, quæ nec ventri moleſtias neque cerebro deliramenta pariunt.

Quinetiam, totum ſenilis prudentiæ negotium videtur ; nequid detrimenti capiat ex alimentorum ingeſtione, quorum tandem pœnitebit : At, ſiqua fortè ex ijs aſſumſit, ſine morâ excernenda ſunt ; ne, intimis corporis penetralibus hærentia, ſævos dolores excitent, quando in mordacia exacuentur ; aut oneri ſint corpori, jam-

jam vix prædito viribus, ad ſuſtentandam gravitatem propriam paribus.

Quocirca, meminiſſe oportet, quòd corpus noſtrum nunquam ſanum permanſurum ſit; niſi facultates ejus excretrices, æquè ac hæ, quæ appetunt, & quæ ad nutriendum referuntur, ſua quæque munia obeant: Id, autem, præſertim hîc ſervandum, ubi non dantur totidem ſuperflui pellendi viæ, quot junioribus contingunt; qui per labores aſſiduos, pérque innumeras motuum viciſſitudines, ſupervacua expendant, poſtquam ad ſatietatem repleti fuerint; quíque in obeſum habitum reponant, quicquid ex alimentis reſiduum eſt.

At, poſtquam ulteriùs extendi tutum non ſit, hiſce, quæ ſuperſunt, non ampliùs datur locus. Illa interim, ſiqua manent, affectibus lethargicis aut torpidis materiam præbent. Ideóque alia quærenda eſt ratio, vitiatos humores diſſipandi; ut ſenſibus, ut animo, lucidus ordo integer conſtet, aut perturbatus reſtituatur.

Quoniam,

Quoniam, verò, non diſſimulandum eſt, extremam hanc vitæ ſcenam, veluti debilitate inſigni functionum naturalium, ita & animi ſtatu minùs ſano, ſæpenumero infeſtari ; adeò ut vulgatum ſit, ultimo ætatis tempore ſenes delirare, aut iterum pueros fieri ; quænam hujuſmodi malis optimè ſubveniant, ex penu experientiæ depromere liceat.

Remedia, igitur, quæ in illorum ſubſidium, qui hucuſque pervenerunt, rerum natura ſubminiſtrat, ea quidem videntur, quæ nervoſo generi à medicis dicata fuerint : Ex quibus ſingula ſeligere prudentis eſt, qualia naturæ cujuſque conveniant ; neque affectibus, quibus eadem tunc temporis laborat, aut in univerſum obnoxia eſt, repugnent. Uſus, interim, eorundem remediorum non intercipiendus, niſi anni tempeſtatibus, quum tutiſſimi ſint ſenes.

Plures, ſanè, ſubſidiorum hujuſce generis ope, ſenſuum defectibus, atque ipſius facultatis, quæ rationis particeps audit, non

non eatenus opportuni vixerunt, quantum iſti, quos aliâ quâvis methodo manuductos fuiſſe, equidem compertum habuerim. Imò, nec ſine his adjectis, quæcunque nocuerunt, excernere, æquè juvare viſum fuit. Verum quidem eſt, quicquid ubique gentium reconditur, ſedulò in uſum hujus extremæ ætatis multos perquiſiviſſe; qui præ cæteris hoc requiri viderint, ut quàm diutiſſimè ſentiendi atque intelligendi vis conſervetur.

Poſtremum, enim, natu maximis ſolatium eſſe ſolet, præteritorum, quæ olim placuerunt, recordatio.

Dein, exultatio animi in rectè factorum conſcientiâ, inſtar omnium habetur illis; quibus nihil adhuc in vitâ optandum manet, præterquam, ut ſuis chari etiamnum ſuperſint; útque memores ſint poſteri geſtorum à ſe laude dignorum.

Proinde, ſenes, quicunque operam diurnam alijs benefaciendo, conſulendóque, collo-

collocârunt, ſolos feliciter per hanc ultimam vitæ ſcenam tranſeuntes equidem nôrim: Qui, demum, patriæ, amicis, perinde atque cognatis chariſſimi, velut defeſſi, &, ſomno à laboribus, domiti, diem ſupremum obierunt.

FINIS.

Catalogus Librorum proſtantium apud Gul. & Joh. Innys.

PHarmacopœia Domeſtica, in uſum eorum, qui Ruri Medicinam facientes neceſſe habent, ut Pharmacothecas privatas ſibimet conſtruant; Scholijs, Viriumque Enarrationibus illuſtrata, & in Libros duos diſtributa; per Thomam Fuller, M. D. Cantab. 12°. 1720.

Pharmacopœia Collegii Regalis Medicorum Londinenſis, Londini, 1721.

Pharmacopœia Collegii Regalis Londini Remedia omnia ſucciñcte deſcripta: Una cum Catalogo Simplicium Ordine Alphabetico digeſtorum: Quibus annexum eſt Manuale ad Forum: Nec non Pinax Poſographicus. Editio quarta prioribus emendatior & auctior. Cura Ja. Shipton, 12mo. 1711.

Pharmacopœia Extemporanea, ſive Præſcriptorum Chilias; in qua Remediorum Elegantium, & efficacium Paradigmata, ad omnes fere medendi intentiones accommodata, candide proponuntur: Una cum Viribus, operandi Ratione, Doſibus & Indicibus annexis. Editio Quinta longe auctior & emendatior per Tho. Fuller, M. D. Cantab. 12mo. 1714.

Pharmacopœia Extemporanea: Or a Body of Medicines, containing a Thouſand ſelect Preſcripts, anſwering moſt Intentions of Cure. To which are added uſeful Scholia, a Catalogue of Remedies, and a copious Index for the Aſſiſtance of young Phyſicias. The third Edition with Additions, by the Author Tho. Fuller, M. D. Cantab. 8vo. 1719.

Pharmacopœia Bateana, in Libros duos digeſta: Primo Compoſitiones Galenicæ, altero Proceſſus Chymici, Ordine Alphabetico exarantur. Viribus Doſibuſque illuſtrantur, atque Catalogis & Indicibus accommodantur. Cura & Opera Thomæ Fuller, M. D. Cantab. 12mo. 1719.